TRIAS FORTIUM DAVID

HOC EST

JESU CHRISTI

S. IGNATIVS LOYOLA
Societatis JESU Fundator,

B. STANISLAVS KOSTKA
Poloniæ Tutelaris,

S. DOMINICA V. ET M.
Tropææ Civis, ac Patrona.

Tribus Epigrammaton Libris proposita,

AUCTORE
ANTONIO BARONE
EX EADEM SOCIETATE.

NEAPOLI, M. DC. XCV.
Apud De Bonis Typographum Archiepiscop.
Cum Superiorum Facultate.

EMINENTISSIMO SIGNORE.

ANtonio Barone della Compagnia di Giesù supplicando espone a V.Em. come vorrebbe stampare due Tometti continenti sei libri di Sagri Epigrammi. Perciò priega V.Em. gli assegni, chi debba rivederli: il che havrà a gratia, ut Deus.

Rev. Dom. Canonicus Antonius Matina videat, & in scriptis referat, hac die 22. Ianuarii 1693.

IO: ANDREAS SILIQVINVS Vic. Gen.

D. Ianuarius de Auria S. Off. Consultor, ac super impressione librorum Deputatus.

EMINENTISSIME DOMINE.

EPigrammatum librum, cujus primæ partis titulus: *Trias Fortium David*, alterius verò *Triumviratus Sanctimoniæ Societatis Iesu*, jussu Eminentissimæ Dominationis Tuæ attentè perlegi: ac ipsius ex lectione ita delectatus sum, ut eum denuo legere, atque Authorem diligere coactus fuerim. Et quis eum non commendet, & diligat, à quo nobis tam argutæ, & lepidæ lucubrationes poeticæ promanarunt? quas non Venus, sed castissimæ Musæ tanta parte nectaris sui imbuerunt. In eis nihil occurrit, quod Religioni, ac moribus fraudi esse possit; immo id omne animadverti, ex quo Christianus Lector & melior fieret, ac eruditior. Hoc in me expertus sum, qui tanquam si in bicipiti somniassem Parnasso, hos tenues ex tempore versiculos, veritati devotus, effudi:

Quæ lucem, modulata olim, nunc carmina spectant,
Divina ex gemino iure vocanda reor.
Materies divina facit, divinaque vates
Reddidit ingenio, consona Cœlitibus.

Tibi interim, Eminentissime Domine, kolophoram deosculando vestem, Nestoreos à Numine apprecor annos. Neap. 25. Februarii 1693.

Devotissimus, & Addictissimus Famulus
Canonicus Antonius Matina.

Attenta retroscripta relatione Domini Revisoris imprimatur, die 16. Martii 1893.

IO: ANDREAS SILIQVINVS Vic. Gen.
D. Ianuarius de Auria S. Off. Cons. & super editione librorum Deputatus.

EC-

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

IL P. Antonio Barone della Compagnia di Giesù espone a V.E. di voler mandare alle stampe due Tometti di Sagri Epigrammi. Supplica perciò V.E. ad assegnargli il Revisore, e l'havrà a gratia, ut Deus.

R. P. Dominicus Coragius videat, & in scriptis referat.

SORIA Reg. GAETA Reg. MOLES Reg. IACCA Reg.

Provisum per S.E. Neap. 22. Octobris 1692.

Mastellonus.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

VIdi jussu Excell. Tuæ Sacra Epigrammata Admodum Rev. P. Antonii Barone è S.I. omnia sunt per summum ingenium, ac pietatem elaborata, & nullatenùs Regiam Iurisdictionem lædere valent. Quare typis emitti poterunt, si Excellentiæ Tuæ placitum accedat. E Collegio Neapolitano S.I. die 16. Martii 1693.

Excellentiæ Tuæ

Humillimus Famulus

Dominicus Antonius Coragius è Soc. Iesu.

Visa supradicta relatione imprimatur; verùm in publicatione servetur Regia Pragmatica.

SORIA Reg. GAETA Reg. MOLES Reg. IACCA Reg.

Provisum per S.E. Neap. die 20. Aprilis 1693.

Mastellonus.

ALOYSIUS ALBERTINUS Provincialis Societatis Iesu in Regno Neapolitano.

CVm librum, cuius primæ partis titulus, *Trias Fortium David*, alterius verò *Triumviratus Sanctimoniæ Societatis Iesu*, Authore P. Antonio Barone ex eadem Societate, aliquot ejusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, Nos potestate nobis facta ab Admodum Rev. Patre nostro Thyrso Gonzales Præposito Generali, Typis mandari concedimus, si iis videbitur, ad quos editio librorum spectat. Datum Neapoli die 3. Augusti 1694.

ALOYSIVS ALBERTINVS Provincialis.

EIDEM FORTIUM DAVID TRIADI OPERIS NUNCUPATIO.

Quidquid hujus est Opellæ, quam molior, Heroum Trias inclyta, Ignati, Stanislae, Dominica, id, cujus ipsa es dicendi Materies, totum jure tuo tibi vendicas. Ut nihil ea de suo habeat, unde placeat: non styli cultioris delicias, non scribendi Veneres, aut Lepòres, nulla sententiarum acumina, nullas Musarum amœnitates; Satis habet omnia de tuo: abundèque de te laudatur, quam laudat: Sic laudandam efficis, dum laudaris, & cum fœnore rependis Opellæ laudes, quas indè accipis. Nam quî vel informi deerit formæ decor, cui Par vestrum formosissimum, cujus in ore ipsa venustatis amœnitas, Pudorisque Veneres vernant omnes, formam imprimit ac decorem? Quî vel stylo deerit acumen, quem fortissimi Ducis acuit, non modo ensis acies, sed mentis? Faustè satis, Ignati, prodit in lucem, auspicio quippè sub tuo: cujus nè nomen quidem luce vacat sua: quin etiam suo calet ab igne: nè scilicet, quod id generis Carmen maximè cavet, inepticns Musa, frigescat: hoc est, salibus careat suis, sicque planè desipiat.

At quamobrem in quibus tot, tantaque abundant decora, unam efferre laudibus videor animi fortitudinem, fortiumque vos Triadem nuncupo, gloriosa illa quidem, sed intra meritum nomen datura? An quia generosis animis una hæc est satis ad gloriam? An quia satis etiam ad voluptatem, eorum scilicet excitata per eam memoria, quæ fortiter tulerint, ac de quibus feliciter triumpharint? Vos quoque, Heroes

inclyti, nec citra pulverem, ac ſanguinem pugnaſtis fortiter, nec minus feliciter triumphaſtis: tunc pulchriores viſi, cum magis, quà pulvere, quà ſanguine ſordidati. Triumphales vobis laurus provenere lætiſſimæ rivos inter vel veſtra, vel aliena manu fuſi cruoris. Martis ipſe Campus ceſſit in Capitolium Triumphi, eò glorioſius, quò majori vobis fuerat cum Hoſte certatum. Quàm bellè Mundum viciſti, IGNATI? à quo vel fracto Crure fugis ad CHRISTUM, fugam nõ arrepturus, ni claudicaſſes. Quàm bellè ætatem adoleſcens, STANISLAE? tam brevi tam longo confecto itinere Sanctitatis, quantum deſperaſſet aliorum ſatis diuturna canities? Denique ſexum quis neget te viciſſe, DOMINICA? quæ tot, tantiſque pro CHRISTO probata ſuppliciis, viris ipſis vel ſtupori fueris, vel pudori. Proh fortium, nunquam non invicta Trias! cui triplici ex hoſte, ſua cuique laus eſt triplex, ac triplex victoria. Ergo triplicem cape jam lauream, quam Apollinea tibi teximus lauro, ſed quã potuimus, non quam debuimus: Et Muſæ faveas, laboranti, ſi minùs tibi ad triumphum, certè ad obſequium.

EPI-

EPIGRAMMATON
LIBRI PRIMI
Argumentum
D. IGNATIVS
DE LOIOLA.

AGE jam, & primus in medium prodi, Parens optime. Qui non modò tres inter CHRISTI JESU Fortes, aut unus ex his, sed Dux es; sed Princeps Fortium, principem jam locum obtine. Novam debemus lauream Mundi Victori, qui nova usus pugnandi lege, arma abjecit, ut vinceret. Mira res! Quam acquisivit inermis, palmam amisisset armatus: hostemque, dum fugeret, profligavit. Tam diu Mundi, hoc est hostis sui, captivus, militari se cingulo solvit, hostili quò se solveret vinculo. Victus victorem sui didicit vincere, seque calcantem calcare, cum penè pedes amisit,

 fra-

fracto quà saxi, quà glandis ictu jam crure. Steti dum corruit: statuitque sibi tam grande Trophæum victoriæ, quando nè stare quidem, nè dum pedibus ingredi posset: quod non statueret, ni corruisset. Macte Heros virtute! Ut vel claudicans in hostem insiluit, ac neutro valens crure, prævaluit! Quem ad id famæ fastigium, immò ad Cœlum ipsum, idem suus extulit casus: humique abiectum ubi vidit, Infernus hostis extimuit. Quis hic, quantusque fuerit, Lector, mox disces. Si tantùm aspicies, Virum planè suspicies. Porrò quæ hìc de IGNATIO narrantur, legere licet omnia apud eius vitæ Scriptores Ribadeneiram, Bartolum, aliosque, maximè apud Nolorcium.



EPI-

A D. IGNATIVM,

Cui cur ultrò Musæ se devovent?

Epigram. I.

ALlature diem Terris, Lojola, caduco,
  Indè oriens Terris, Sole ubi lux moritur.
O ades, & Cœlo nostris illabere cœptis
  Dexter, Apollineum cui nemus omne patet.
Namque tibi Musas debent hæc sæcla * pudicas;
  Fronde virens, vel quòd virgine Pindus ovat.
Mutarat Myrto Laurus: salibusque pudendis,
  Ut saperet Clio, quam malè desipuit!
Indè Pudicitiæ jam Vectigalis Apollo est,
  Authoremque sui Musa Pudoris amat:
Teque canit. Cui, nempè, fluat nam Castalis unda;
  Quàm tibi, quo Virgo Castalis unda fluit?

Ex reverentia in Christi Domini Præsepe in stabulo paritur.

Epigr. II.

TE stabulum, non aula, recèns natumque supellex
  Excepit dominæ te nec avita domus.
Nobilitas dederat saturatas murice vestes:
  En Matris paleas nunc tibi dat Pietas.
Præscia num quantus posthac, Dive, arseris ignis,
  Nascentem stipulâ sic fovet illa facem?

* *Elutis Carminum Sordibus, Pudori Musa Soc. opera nupsere.*

Id.Epigr.III.

Nasceris in stipula. Ignati, Magnæ inclyta Gentis
Proles, & Major Prole future Parens.
Tot neque nocturnas Vesper ferit ignibus horas:
Tot neque Pæstanis floribus halat odor.
Tempus erit, tua cum Gens totũ impleverit Orbem.
Quanta seges sterili prodiit è palea!
Si paleæ posthac plenæ tot frugibus ibunt;
Culta eat in paleas, ò mihi tota Ceres!

Id. Epigr.IV.

Vilia Lojolæ cunabula sternit arista:
Et stipulæ primi pompa fuere thori.
Auguror: hinc atri cape Ditis Regia, quæ mox
Sint mala, quæ sceptris dira timenda tuis.
Nam ferro, flammâque Polo qui militet, Infans
Hic oritur, nigra & quo Duce Regna ruant:
Ut cremet, en stipulas jam nunc legere ardet: acuta,
Ut feriat, teneras armat Arista manus.

Id. Epigr. V.

Credite, Tartareo trepidatum jure Tyranno est.
Quantus, ait, Pueri se tegit ore Gigas!
Anxia venturi Mens fulmen præscit Aristâ:
In palea Rogus est. Jam fumus, ergo, Cinis.

Sacro mox Lavacro tingendus, quod sibi Nomen imponi velit, disertis Infans verbis eloquitur.

Epigram.VI.

CRedetis? Puer ipse sui est sibi Nominis Auctor,
Dum Lojola Sacro proluit Amne Caput.
Fitque repentè loquax Infantia: & inscía vocum
Vocales cudit, non sua verba, modos.
Adamo dederit Divûm Pater, atque Hominum Rex,
Nominibus pecudes posse vocare suis.

Im-

Imperiique velut consors, quæ bruta creavit
Hæc Deus, arbitrio dixit, & ille suo.
Gloria Lojolæ major: namque indere Nomen
Olli fas aliis: indidit iste sibi:

Id. Epigr. VII.

Nomen ab igne petit, tacitum molitur & ignem
Mente Puer, primo vix ubi lacte madet.
Vix oculis libata dies, cum tempora fandi
Prævertens, laqueo lingua soluta suo est
Lingua tibi est præcox, præcox fax, Dive. Quid inde est?
Utraque sat fausti Nominis omen habet.
Munera, nempè, tuæ duo erunt nam credita vitæ,
Eloquio ut doceas, & simul igne cremes.

Arcem Pampelonensem dum propugnat, maioris tormenti ab ictu fracto crure, prosternitur; undè suæ ad Deum Conversionis initia.

Epigram. VIII.

QUā bene glāde jaces, Juvenis, pede claudus utroq;
Id ni fecisset, fecerat illa minus.
Errabas multùm Recti de limite. Pœna
Hæc satis apta tui, vel medicina mali est.

Id. Epigr. IX.

Præsidet obsessæ Dux Lojoleus Arci:
Quæ stat consilio, stat Ducis illa manu.
At non ista diu. Quo stabat stante, cadente
Corruit: hostili pressa doletque jugo.
Hinc Mundi, victorque sui, pia corripit arma.
Ni fuerat victus, vicerat ille minùs.

Id. Epig. X.

Saucius excussæ vi glandis, fit pede claudus
Hispanæ Columen, Militiæque Caput.
Indèsuas lachrymis sordes, maculasque priores
Eluit: Oh quantas elicit ignis aquas!

Sic malè qui ſanis inceſſit cruribus, Idem
A pede, quòd currat tam benè, Claudus habet.

Id.Epig.XI.

Quòd cadis Hiſpani flos, alter & Heſperus Orbis,
Nil queror. Indè oreris clarior, undè cadis.
Macte animo, vel crure minor, novus Ignis Olympo
Adderis: indè novas huic dabis ipſe faces.
Æneus exploſo qui te globus igne metallo
En ferit; is fauſta non ſine luce ferit.
Ad Cœlum properas, quòd pes tibi claudicat. Orbis,
Mira fides! Arx hæc quòd ruit una, ſtetit.

Id.Epig.XII.

Tranſverſum Juvenem mala pectoris egerat hoſpes,
Accenſo, heu, nimis à ſanguine, flamma duplex.
Hinc amor, armorumque furor rapit; indè voluptas,
Et Mars, & præceps Martis ad arma manus.
Inſequitur fugientem urgens Deus. Indè fugaci,
Nè fugeret, prædæ perculit ante pedes.

Id.Epig.XIII.

Læſus utroque pilâ jacet, heu, Loyleïus Heros
Crure: illinc ferro claudicat, hinc lapide.
Conſulat ut decori, nè fœdius impare greſſu
Vita eat, icta pari vulnere an eſſe velit?
Spes, heu, vana! duplex bino petit impete vitam,
Ut certo perimat funere, durities
An magis hæc pietas? Vitam raptura, cadenti
Ferrea dat lethum, ſaxea dat tumulum.

Longè alius Glandis igneæ ictus in D. Carolum Boromæum, ac in D: Ignatium.

Epigram.XIV.

FUnereum, Boromæe, Pilæ quòd luſeris Orbem,
Indè eſt: nempè Orbis quòd tibi luſus erat.

Non

Non ſic at Lojola: Orbis malè cautus amator,
Funereo exanimis jam propè ab Orbe jacet.
Ludimur, heu, miſeri, rebus quoque lædimur iſtis:
Læſus, ni vis has ludere, luſus eris.

Jam conclamatus, D. Petro ipſi apparente, convaleſcit.
Epigram. XV.

EN moreris Lojola, fugæ jam nulla ſuperſtes
Spes, utroque ligat te pede vulnus, adeſt.
Nec te, Petre, manet ſpes: utraque nam tibi ferro
Vincta manus: vincto jam propè lictor abeſt.
Amborum ſed cura Polo eſt. Mox liber uterque,
Hic ferro, ille ſuo vulnere vinctus, abit.
Sed Petro quò vincla cadant,* volat Aliger: Idem,
Lojolæ ut curet vulnera, Petrus adeſt.

Id. Epigr. XVI.

Quæ tibi Petre,* pedum cura eſt? hæc ipſa jacentis
Ad templi fuerat nam tibi prima fores.
Nunc quoque, dum fracto Lojola è crure laborat;
Ad greſſus Claudo reddis utrumque pedem
Quàm benè! Ter perjura ubi te malè lingua fefellit,
Non pes; namque ſequax Numinis unus erat.

Chriſti, Sanctorumque caſu legens hiſtorias, ad eorum ſectanda veſtigia mirabiliter inflammatur.
Epigram. XVII.

HEu nugis malè farta petis Monumenta, jacenti;
Tota eat in nugis quò tibi lapſa dies.
Sed pius invito Codex obtruditur: & mox
In lachrymas, in ſuſpiria totus abis.
Illicò teque parem Virtus facit inclyta Divis;
Fortuitis quantum eſt caſibus ingenium?

Ab-

* Act. 12. * Act. 3.

Abreptusque suo Juvenis dum naufragat æstu,
En levis ad portum Pagina dat Tabulam.

Id. Epig. XVIII.

Quod superis par sis, duo causa fuere libelli:
Tanta uno Pietas venit ab intuitu?
Jam Lojola, tuis totus calet ignibus Orbis.
Tot dare quî poterat Pagina sola faces?
Quot Pallas legit indè libros, numeratque; libelli
Hos parere innumeros vel potuere duo.
Namque ibi tantarum fuerant tibi semina rerum:
Tota tibi ad cursum Nautica Pyxis erant.
Ergo Ignatiâdum fas hinc ediscere, tanto
Quæ deceat Pietas agmina, lecta Duci.
Esto aliis simplex, nec Pallade tincta; Tuorum
Ni sapiat Virtus, Te haud sapit illa satis.

De eodem ad Socios.

Ep. XIX.

DIc age, quod calamo, Gens Lojoleïa, debes,
Plus est? an debet quod tibi vel Calamus?
Scripsisti, quæ multa valent vix sæcula: debes
Hæc calamo; tibi nam is scribere posse dedit?
Scribere perge quidèm; calamo nunquã æqua repẽdes:
Te tibi dat Calamus, qui dedit ante Patrem.

Dum se Christo mancipat, ingenti terræmotu Lojolææ Domus tota concutitur.

Epigram. XX.

QUis fragor! Evulsis ruere omnia sedibus; arma
Dum Lojola, nova ac prælia mente movet.
Æthra novo num læta Duci dum plauderet; ipsa
Ora salit: Choreas Terra agitatque suas?

An

An pavor est? trepidansque sui præsaga mali mens,
Dum fremit, & Ditis Regia tota tremit?
Fit rabiesque, furorque tremor: quatit, urget: Averni,
Ni terat, invisum terreat ira Caput.
Sed frustrà. A læso melior qui crure cucurrit;
A trepido stabit firmior ille solo.

A Deipara, quæ se visendam oranti dat, subitò donum Castitatis planè admirabile, ac perfectissimum habet.
Epigram. XXI.

CAndida signa sequi certus Lojola, pudori
Quæ Venus, ipse sibi quæ ciet arma, timet.
Sed Veneris, calidæque terit simul arma Juventæ
Diva Parens: uno fregit & imperio.
Namque suum complexa sinu, sibi pondus, JESUM
Dulce satis, timido visa repentè Viro est.
Sat vidisse: hausitque oculis Lojola Pudorem,
Queis fuerat pulso, heu, hausta Pudore Venus.

Ad Montem Serratum profectus, ad aram Deiparæ arma suspendit, Christo deinceps militaturus in sacco, & magna vitæ asperitate.
Epigram. XXII.

DIva ubi Serrati colit alta Cacumina Montis;
Excubat, Hispano Præses & undè solo est;
Hìc posito Lojola sago, vilique Lacerna
Se tegit, & vultus exuit ille suos.
Majestas non illa oris, non roboris ille
Flos est, quo vix Mars, dum quatit arma, præit.
Et tamen, armatus fieres cui ludus, Averno,
IGNATI, quantus terror inermis eras!

Ad Deiparam de eodem, cum allusione ad illud: Mille Clypei pendent ex ea. Cant.4.

Epigram.XXIII.

TE geminam, Turrique parem dixere; superbum
Mille tegant Clypei cui Caput, alma Parens.
Accipe, quem Lojola tuis nunc devovet Aris:
Quot tibi in hoc uno, quem sacrat, ense parat!
Jam Clypeos, tete quibus hoste tueris, habebas.
Hostem quo ferias (defuit ensis) habes.

Id. Epigr.XXIV.

Jam tegeris clypeo, jam, Virgo, armaris & ense:
Quique armat Te quin ensis & ipse tegit.
Utraque Lojolæa tibi manus arma ministrat.
Nil tu; quod timeat solus at hostis habet.
Hinc olli duplex Pudor est, Furor est quoque duplex,
Quòd non infligat vulnera, & accipiat.

Manresæ in specum sese abdit: ubi rudis omninò literarum, Deipara docente, Exercitiorum librum conscribit.

Epigr. XXV.

QVem Cernis magnũ tam parvâ in mole libellũ,
Hic amor Auctoris, deliciumque sui est.
Non illum Lojola, datum cui pollice tantùm
Scribere; nam melior mens & ab Axe dedit.
Diva Parens, quæ sæpè suo spectata Clienti,
Materiam, libro præbuit illa manum.
Sicque vicem reddis. Magnæ, Lojola, Parenti:
Tu Gladium dederas; hæc tibi dat Calamum.
Munus habes sat grande: valet quàm hæc Pluma! vel (Hostis,
A Gladio qui nil, hoc timet a Calamo.

Id. Epigr.XXVI.

Quantus eras, primi cum Ductor & agminis, hostem
Irrueres dextræ fulmine? Quantus eras?

At

At nunc obſcuro latitas ignotus in antro,
Et plumâ levis eſt, non gravis enſe manus.
Hæc Lojolææ Gentis decora inclyta? Carthis
Litterulas Campo ducere, non acies?
Fallimur. Hinc plures ſat honoro germine palmæ,
Indè novo melior laurea Marte viret.
Multa licet gladio foret hæc tibi parta; tot hoſtes
Non caderent gladio, quotque cadent Calamo.
Scribere perge, ſtylo felix Lojola: triumphis
Arma tuis hæc, vel plumea, fulmen erunt.

Manreſæ Dæmonum ſpectra, ac terriculamenta, Ferarum, Anguiumque formas induentium, deſpicit adeò, deridetque, ut vel bacillo in fugam abigat.

Epigr. XXVII.

DVm trahit inſomnes pernox IGNATIUS horas,
Et levat aſſuetas ad pia vota manus;
Sæpè ſuis armata dolis Styx blanda, minaci
Sæpiùs orantem noxia fronte petit.
Nam modo ſtellatus Dœmon propè labitur anguis:
Nunc leo, nunc triplici Cerberus ore furit.
Lojolam, at nec blanda capit, nec noxia terret:
Quem terrere parat, lurida turba timet.
Nec ſatis: elatoque minax, pulſuſque bacillo eſt.
Verbera quid, tantùm ſi potuere minæ?

Id. Epigr. XXVIII.

Detractos Cœlo vinclis ad Tartara novi,
Qui Cœlo primi bella ciere, Duces.
Nunc Lojolæo cæduntur fuſte; Pudoris
Ultimus hic miſeris num quoque limes erat?
Heu malè quæſitum Imperium! ſervile quid illis
Haud probri eſt? cædunt verbera, vincla ligant.

Id.

Id.Epig. XXIX.

Prima Poli fax; *& primo sat clarus Eoo,
Heu miser, amisso Lucifer Axe cadis.
Prima Erebi Fæx, & compactilis omnibus umbris
Umbra, vel ostenso verbere victa fugis.
Et cadis, & fugis. Est res utra pudentior? Antro
Dum fugis? an præceps dum procul Axe cadis?
Est gravior Casus, Fuga turpior. Aligerûm illinc
Pelleris ense. Viri pelleris hinc baculo.
En cur, cum Cœlo excideres, Draco magnus: ab antro
Cum fugeres, parvo visus in angue, peris.

Id. Ep. XXX.

Anguis erat, *tenerum primis cum fraudibus Orbem,
Et pomo peteret Lucifer: Anguis erat.
At formidatas tot non alit Africa formas,
Quot Lojolam, animo dum subit astra, petit.
Nam fremit ore Leo, Draco sibilat, imminet olli
Anguineis nubes nexa voluminibus.
Victor io! Lojola; Orbem qui vicerat Anguis;
Vi leo & ipse, dolis vel Draco, victus abit.

Id.Epig.XXXI.

Fulguris, * heu, dum more cadis, totum, improbe, ut (Orbem
Fulguris hæc lapsi more ruina quatit!
Nunc Lojolæo tacitus fugis Anguis ab antro.
Proh Pudor: huic Fulgur cesserit & baculo?
Nempè, juvat validos multùm pia dextera ad ictus.
Esto pius: baculus vel tibi fulmen erit.

Id.Epig.XXXII.

Terrarum Dominam premeret cum Transfuga Ro- (mam
Servorum armatâ seditione furor;
Non ferro pugnasse ferunt, sed fuste: Rebelles
Officii fustem sic monuisse sui.

Nam

* *Isaiæ 14.* * *Gen. 3.* * *Luc. 10.*

Nam ſat nota humeris, pavidos vix viſa fugavit
Virga minax, vile & traxit ad ingenium.
An premis imperio, ac toto dominaris Averno,
Ignati? Indè tuo eſt, quod ſibi fuſte timet.

Admirabilis vitæ aſperitas ſuique domandi ardor. Indè ter, vel quinquiès in diem ferreis ſeſe flagellis cruentat.

Ep. XXXIII.

NOcte pluit totâ tibi frons à fletibus:ipſa
Dive, nec a lachrymis it tibi ſicca dies.
Quin etiam laceris toties ex artubus imber
Exilit, à fuſo ſanguine ut antra patent.
Conjunctoque fluunt rivo; quò crimina ſanguis
Tergat, ſiquæ non diluit unda ſatis.
Diluit unda ſatis: ſed cui ſtat ſanguine mergi,
Non tibi ſat mergi crimina vel lachrymis.

Id. Epigr. XXXIV.

Sanguinis ò quis Amor! Tibi quæ tam ſæva voluptas!
Exueras non dum Militis Ingenium?
Seu Manreſano latitas, Lojola, ſub antro:
Ægros ſeu famulâ ſedulitate foves,
Uſque cruenta madet tibi dextera:ſaucia ferro,
Nempè,catenato verbere membra feris:
Nempè,manu tractans Ægrorum vulnera;anhelo
Qui cruor, inde fluens, putruit, ore bibis:
Hæc amet, heu, feritas paſci quæ ſanguine gaudet:
An Pietas, aliis quæ pia, ſæva ſibi eſt?

Pane,& aqua ſemper jejunans,herbis die tantùm dominicâ ad delicias adhibitis,cinerem,ac terram admiſcet.

Ep. XXXV.

IEjuno dum carpis olus, Lojola, palato,
Vile, ſuique negas nonne ſaporis, olus?

Nam

Nam tritâ corrumpis humo, corruptaque ludunt
 Fercula lassatam, dente terente, famem.
Mira fides! Viso, tantùm cui terrea, Cœlo
 Sordebat Moles; jam tibi Terra sapit.

Id. Epig. XXXVI.

Quòd sapiat tibi terra, tibi quòd sordeat, indè est,
 Nempè, cibus sic qui sorduit, ille sapit.
Sæpè quater fessos solvit Sol Axe Jugales:
 Jejunos solvis vix tamen ipse dies.
Quin etiam dum longa trahis jejunia, tandem
 Heu quoties, animâ deficiente, jaces!
Indè oleri terram, cænes quò lautiùs, addis.
 Hæ tibi deliciæ? Pæna, age, qualis erat?
Vivere non Hominum, non hoc est more Ferarum.
 Sæpiùs hoc, semel, est, nè moriare, mori.

Id. Epig. XXXVII.

Relliquias lethi, cineres, flammæque vorantis,
 Quos duplex tanta hæc nauseat ingluvies;
Hos cænat Lojola: cinis quandoque futurus,
 Vivit adhuc, Cineris præcoqua & urna sui est.
Ingeniosa nimis Pietas Loyleia: namque
 Quæ Pæna est aliis, hæc sibi Victus erat.
Labimur in Cinerem: Mors est hæc altera: Mortem,
 Hoc cinere ediscis vivere, nè timeas.

Saxo in pectus incusso, se dirè pertundebat.
Ep. XXXVIII.

IN lachrymas dum totus abis, Lojola, quid ictus
 Ingeminat, pectus quæ ferit, acta silex?
Ipsam animæ sedem saxo petis. Ah malè molles
 Tàm tibi sunt oculi, tàm tibi dura manus.
Conscia sic plectis culpæ præcordia? An ut, quæ
 Si non emollit lachryma, saxa terant?

Id.

Id.Epig.XXXIX.

Flent oculi, ſaxique manus ferit impete: Crimen
Tunditur hinc, illinc & ſimul obruitur.
Junguntur lachrymis lapides; ſic naufraga culpa eſt:
Ad lapides frangit: mergitur à lachrymis.

Id.Epig.XL.

Pectora dum, ſaxo tundens, Lojola cruentat;
Sat genus hoc pœnæ, ſuppliciique novum eſt.
Nempè, olim ad ſuperos durarat Numinis ictus:
Plectitur hinc lapide is, qui fuit ante lapis.
An magis incuſſo ſic punit Crimina ſaxo:
Ut ſimul una necet Pœna, eadem ac tumulet?

Ad catenam, qua lumbos, & cilicinam veſtem, qua corpus ſemper aſtringebat; faſciam ex herbis aculeatis ſibi contextam adhibet.

Id.Epigr.XLI.

PÆnarum modus eſt tibi nullus, Dive: ſatis te
Aſpera, quam geſtas, undique ſeta ferit.
Quid ſteriles rimaris agros? Quid germina, acutis
Si qua virent dumis horrida, ſæpè legis?
Indèque vulnifico præcingeris ilia textu.
Eſt etiam in pœnis, ſcilicet, Ingenium.
Nec tibi opus ſtimulis, benè qui ſic curris ad Aſtra.
An nunquam ad Cœli curritur Aſtra ſatis?

Id. Epig.XLII.

Lojolæa duo conſtringunt Ilia cinctus.
Ad pœnam cinctus non ſatis unus erat?
Ferreus appreſſâ ad nudum ligat ille Catenâ:
Spineus hic fixis pungit acuminibus.
Aſpera echinatis nam circumvoluitur herbis
Texta, per innocuum faſcia ducta latus.

Seque ligat ferro, foliis dum pungit acutis:
It benè, qui frœno non caret, aut ſtimulo.
Utrovis careant nam qui;nigrâ alite pergent
Ire viam. Hic properat non ſatis, ille nimis.

Id.Epigr.XLIII.

Cingeris hamato foliorum faſce, catenâque,
IGNATI: tenet hæc, at ſimul ille ciet.
Quàm malè conveniunt unà! Quæ munera præſtant,
Divide: ſic facies, ut benè conveniant.
Tu nimis ah properas:tibi opus,quę frenet,habena eſt:
At mea ni ſtimulis vita ſit; iners perii.

Id.Epigr.XLIV.

Fert tribulos, vepreſque homini, devota Supernis
Terra minis;multâ ſit quoque culta manu.
Hoc,Lojola,parum eſt? Hamatis pungeris herbis:
Vis, ſpinas etiam ad vulnera ut illa ferat.

Manreſæ admirabiles Ignatio divinitùs immiſſæ Intelligentiæ, Extaſes, Viſiones, & alia h. m. Has inter oſtenſum eſt,quâ Deus ratione,dum Mundum crearet, ſeſe geſſerit: miraque didicit de ipſius ſapientia, ac bonitate.

Epigr.XLV.

QUò tua te, Lojola, ciet Mens? ſemina rerum
Prima vides: Puer ut vagiit Orbis, habes.
Indè patent oculis teneræ Cunabula lucis:
Indè, ſuo Nox in ſyrmate nigra, patet.
Ut ſtet Humus, fluat Unda, Aër meet, arſit ut Ignis.
Floruit hæc, fructus Arbor ut illa tulit.
Quadrupedes Tellus partu quî fuderit uno:
Alite ſeu volat hinc, Piſce nat indè latex.
Informiſque vides hominis quæ forma futuri
Fictilis, & parvo quæ ſtetit oſſe Nurus.

Gau-

Gaudia quæ fuerint, ubi Ruris uterque beati
Accola, ubi innocuos duxit uterque dies.
Namque DEUS retegens ficti primordia Mundi;
Spectatorem operis te dedit esse sui.
At quorsũ hæc? Quòd cuncta ruit malus, ilicet, anguis;
Cuncta venenato Sibilus ore tulit;
Nacta hominem te Dia Trias, qui cuncta reformes;
Hinc docuit, formâ quâ prior Orbis erat.

Donum fidei planè admirandum Manresæ à Deo inditum Ignatio; adeo ut sibi nihil deperditũ iri, vel pereuntibus omnibus Fidei monumentis, dictitaret.

Epigr. XLVI.

DIve, tenes, quæcunque Sacris signata Tabellis,
Seu retegit Cunctis, seu tegit alma Fides.
Hinc fibris innixa suis, quam nulla Tyrannorum,
Aut ferri rabies vellere nulla valet.
Ergò fides tibi se, Cœlo simul indice, prodit.
Hæc tua, Magne olim gloria; Paule; fuit.
Credimus aure, Fidem sola nos aure tenemus:
At quæ sunt aliis credita, uterque videt.
Nec nocuit vidisse: juvat magis. Indè quis unquam
Audeat, hanc cœcam dicere velle Fidem?

Christum videt in Eucharistia: modumque, quo ibi sit, tàm admirabilem planè intelligit.

Epigr. XLVII.

VEscus ubi Cereris se JESUS abdit in orbem,
Lojolæ vultus detegit indè suos.
Multa docetque: hominem capiat qui Mica, Deumque
Plena homine, ac toto parvula Mica Deo.

Nec satis hæc: nam cuncta videt, quæ credita, Pallas
Ingenio haud potuit nulla ibi nosse suo.
Hinc, Regi quis, Dive, tuo sis, conijce. Cunctis
Clauditur hìc, uni sed tibi sponte patet.

De Augustissimo Trinitatis Mysterio ea divinitùs Manresæ videt, ut tunc, nullius literaturæ Vir, librum de eodem scripserit.

Epigr.XLVIII.

EN oculis, Lojola, tuis sic panditur, ipsa
Luce sua haud oculis pervia, Dia Trias;
Ut Sophiæ quamvis purus, nec Palladis ullâ
Arte vales; ipsos scripseris ante Sophos.
Felix, qui Cœlo potuit didicisse Magistro!
Huic uno viruit Laurea ab intuitu.

Id.Epigr.XLIX.

Paule, tibi, Superos inter quæ mira doceris,
Haud fas arcano credita verba loqui.
Lojolæ, quæ Dia Trias docet; illa rotundo
Ore loqui, fas & scribere vel calamo.
Te minùs ut sapiat, Terris edoctus; ab ipso
Quæ didicit, plus est posse docere, Polo.

Raptus animæ frequentissimos, ac planè divinos babuit: quos inter admodùm singularis, per septem continenter dies: In eo multa edoctus de futura Societatis Iesu fundatione, laboribus, aliisque ad eam spectantibus.

Epigr.L.

O Ubi eras animo, tecti cum pauperis hospes;
Ignati, extincto par propè totus eras?

Rec-

Reddere vix potuit tibi te quandoque, vel Orbi
Reddita, ſeptcni Nuncia Solis, Eos.
Scilicet, Ætherias ſpatiatus ſæpè per oras,
Intereras ſuperis mixtus ubique Choris.
Par meritis merces. Terris ſpontè exul ab imis,
Incola, jam ſuperi Civis & Orbis eras.

Id.Epigr.LI.

Egerat egelido ſeptem jam corpore ſoles
Loylide, foſſâ mox tumulandus humo.
Feciſſentque; leves alto ſub corde latentis
Indicium pulſus ni facerent Animæ.
Hoſpes at ille alti novus Ætheris, indè futuræ
Diſcebat Gentis grandia facta ſuæ.
Extenditque oculos ventura in ſæcula clauſos:
Si non clauſiſſet, viderat ille minus.

Id.Epigr.LII.

Ah cave, nè tumulo condas; condentur eodem
Spes, Orbiſque ſalus hoc ſimul in tumulo.
Vivit adhuc Lojola: calet, veniſque ſuperſtes
Spiritus, exanimi par licet ore jacet.
Extincto tàm ſæpè parem vidiſſe ſtupori eſt?
Is ſibi, quid ni ſit corpore? jam occiderat.

Id.Epjgr.LIII.

Cum tibi venturæ, Ignati, Cœlo indice, Gentis
Præſcius, & noſtro redderis indè ſolo;
Ah Jesu! ingeminas, ah Jesu! dulcior Hyblâ
Is ſapit: atque imo pectore cuncta premis.
Quin promis ſic cuncta. Vbi ſolum dicis Jeſum;
Cuncta fuit, Jesu, dicere, tu mihi eris.

Ad Sancta Palæstinæ Loca dum peregrinatur; jacentem, Comitibus, viribusquè planè destitutum, Christus Dominus recreat solatur; ignarumque via m docet.

Epigr. LIV.

DEstituunt Comites, viresque, heu, Dive: jacenti
  Est inopi nec qui vel ferat unus opem.
Ergo jacens pluvio putresces sub Jove, sævis
  Dentibus in nudo præda relicta solo?
Non feret hæc tuus, è Cœlo spectator, Jësus:
  En subitò Cœli lapsus ab arce venit.
Ore beat, recreatque, manu attollitque jacentem:
  Et comes, & dubiæ Dux simul ille viæ est.
Olli deserto tot confers si bona, Jesu;
  Si quis pro te se deserat, oh, quid erit?

Venetiis noctu, sub dio hospes dum jacet, à Senatore Marco Antonio Trevisano, Angeli voce excitato, quæritur; domumque perhonorificè excipitur.

Epigr. LV.

HOspes, inops, nulloque cubans, Lojola, cubili;
  Jam nudo dederas indiga membra solo:
Cum te flos Veneti, atque Heros Clarissimus, Ostri,
  Quæsitum medio cogit abire foro.
Exceptumque domi, fessum fovet. Ipse refectum
  Sat dape, sat molli composuitque thoro.
Namque soporato vox Cœlica vellerat aures;
  Admonuitque, inopi quò tibi ferret opem.
Scilicet, ipse viæ fuerat cui ductor Iësus;
  Aliger huic quid ni curet & hospitium?

Dum

Dum ſolveret, nè quid de ſua in Deum fiducia detereret pecuniam, Piorum importunis precibus admiſſam, in litus abiecit.

Epigr. LVI.

INvito obtruſum ſolvens IGNATIUS aurum
Proiicit, è Cœlo quærere certus opem.
Speque ſua dives, vaſtum dum navigat Æquor;
Pauperiem abiecto pondere luſit inops.
Auri Sacra fames, & habendi dira Cupido,
Diſce hinc, ſat votis quò potiare tuis.
Omnia dum cupias, propè nil te credis habere:
Ergo age jam, utque habeas omnia, nil cupias.

Naviganti pluriès Chriſtus Dominus apparet.

Epigr. LVII.

QUam IESUS ſacrarat, humum quò pronus adoret
Lojola, ignotas navigat hoſpes aquas.
Dumque madet lachrymis, imâ ſub nave madentem
Sidereo IESUS non ſemel ore beat.
Quæ tua vis, Amor, eſt? Quô, quò ſe deprimit, Aſtra
Qui premit? & pede cui preſſa vel Aſtra tument?
Quid timeat tanto felix Vectore Carina?
Navigat, & Portum ſecum habet ipſa ſuum.

In Oliveti Monte, Sacra Chriſti veſtigia iterùm conſideranti, ſe viſendum humaniſſimè Chriſtus exhibuit.

Epigr. LVIII.

MOntis apex, ubi ſat multâ velatur olivâ;
Servat adhuc IESU, dum ſubit Aſtra, pedes,

Hunc lavisse satis ratus haud IGNATIUS; undâ
Quò lavet ex oculis uberiore, redit.
Quis ferat, impressis quæ fixerit oscula plantis?
Totus & ut dulces iverit in lachrymas?
Indè operi merces, IESUS spectandus amantis
Ore venit. Pietas præmia quanta tulit?
Proh decus! Hinc aliis abiens sese abdidit Astris:
Uni iterùm ad Terras huic DEUS ipse redit.

Reversurus, cariosa propè navi navigat, vel in procella securusque duas alias, easque validissimas, demersit.
Epigr. LIX.

DIve, Palæstinâ solvis vix hospes ab actâ,
Cum furit irati sæva procella maris.
Aura fremit, ferit unda: Abies secura senectâ
Sat longâ, quæ te, vel malè farta, vehit.
Sors eadem haud aliis: socias vorat unda Carinas:
Hæc tenet optatos littoris una Sinus.
Proh quanti refert, Pietas ubi navigat! En ut
In portu hæc medio, vel propè mersa, Salo est.

Hispaniam repetens; ut se ad animarum lucra ritè formet, tres supra triginta annos iam natus, à Grammatica inter Pueros, Scientias ediscendas aggreditur.
Epigr. LX.

TEr denis, Pueros inter Dux, major & annis.
Hispanique Scholas Gloria Martis adit.
Et Latiæ didicit voces invertere linguæ;
Qui docuit fortes vertere terga Duces.
Hùc Animarum amor impulit! Improba sæpè vel illũ,
Vilia sæpè illum ferre coëgit Amor.

Tu nè quære, Deo quæ post, quæ fecerit ante:
  Nosse sat est, ferulæ supposuisse manum.

Id.Epigr.LXI.

Hostiles modò qui Cuneos ferro impulit Heros,
  En scuticæ posito subiicit ense manum.
Ludimur? An magis est hoc ludere? Tantus in armis
  Decrescit, Pueri more, modoque Gigas?
Utque loqui latio discat sermone; Theatrum
  Huic Schola fit, Martis cui modo Campus erat.
Vilia Grammaticæ sint hæc Cunabula. Pallas
  Qualis at his nata est filia litterulis?

Id.Epigr. LXII.

Pædagogorum en fert ultrò IGNATIUS iras,
  Ille ferox armis, Martis & Imperio
Verbaque Vir, vocum vel nomina flectere cœpit,
  Ante Equites, unà & flectere doctus equos.
Risum Aulæ bellique Potens excivit; ubi vix
  Balbutit primis inscia lingua modis.
Elinguem, Luthere, Virum tu ne, improbe, rides?
  Mox hoc elingui, garrule, mutus eris.

Id.Epigr.LXIII.

Imposuisse focis generoso Mutius ausu
  Dicitur, incerto falsa quòd ense, manum.
Quòd Latiæ leges læsisset lingua loquelæ,
  Et Lojola manum supposuit ferulæ.
Victor uterque. Manu vicit sed Mutius ignem; at
  Se Lojola, manu dum ferulam subiit.

Ubi-

Ubique, dum literis, operam quoque animarum saluti strenuam navat: pro qua asperrima quæque, & vincula, & verbera incurrit, semper hilaris, & imperterritus.

Epigram.LXIV.

DUm Lojola suæ in caulas, callesque salutis
Sedulus errantes cogere quærit oves;
Exarsere: hominumque timens sibi turba, tueri
Quò se, quô sua fas crimina, sæva parat.
Verberaque innexo, geminataque vincula ferro,
Quæque catenato pondere colla premant.
Congeminantque minas. Ridet tamen ille, minantis
Ut Nerei, portum quæ tenet, Alnus aquas.
Blanda timet Lojola. Viro jam blanda minare:
Qui terrere cupis; verbera, vincla nega.

Pro restituta Monialium disciplina Barcinone ad mortem cæditur.

Epigr.LXV.

AGneæ clausos calidus malè sibilus hortos
Afflarat, CHRISTI nec bonus halat odor.
At Lojola suis dùm fontibus irrigat, ultrò
Halat odor; rediit cumque Pudore viror.
Exclusis furor indè Procis, qui pervia Sacræ
Florida vastabant septa Pudicitiæ.
Vulnifico hinc sub fuste cadens IGNATIUS, ægrè
Singultantem animam, proh scelus! ore trahit
Idalio rubuere Rosæ de sanguine; Major
Nunc Lojolæo Lilia candor habet.

Iuvenem perditè impudicum, ut Christo lucretur, in lacum, glacie concretum, se mergit.
Epigr. LXVI.

IBat Acidalio Iuvenis malè percitus æstro,
Ebria quò raperet multo ab Amore Venus.
Egelido Lojola lacu sed mersus, euntem,
Tam malè susceptum, rumpere cogit iter.
Obstupuit: factique dolens, deserta Pudoris
Signa tenet: vetitis abstinuitque thoris.
Sicque suo tantùm dum exuritur igne, refrixit:
Alteriusque gelu, vidit, & obriguit.

Id.Epigr.LXVII.

Sancte Pudor, te Leno dolis petit improbus. En ut
Iura maritalis stat violare thori.
Lojolæ debes, nulla si labe maritus,
Integer, & niveis floribus halat Hymen.
Hibernis, tibi Ver nè deflorescceret, auris
Friget is, ut gelido frigeat amne Venus.
Quæque mari in magno tuta olim enaverat undis:
In parvo periit Cypria Diva lacu.

Id.Epigr.LXVIII.

Urebat miserum duplex hæc flamma, Iuventus
(Utraque namque suo sat calet igne) Venus.
Algenti te, Dive, lacu, te sidere nudum,
Non uno duplex frigore torquet hyems.
Tantæ molis erat Iuvenem frigere: minori
Cypria non poterat frigore flamma mori.

Id.Epigr.LXIX.

En quò præcipitem furor abripit? Ah nimis urens
Hæc Iuvenem Veneris flamma furentis habet.
Mersus aquis, gelat hiberno Lojola sub Astro;
His, ut quæ Cypri sit Dea, cernat aquis.

Prok

Proh turpis Dea! Vix vitreis ſeſe ille fluentis
In Lojolæis vidit, & erubuit.

Id.Epigr.LXX.

Ah Juvenis, nec ſera pati te vincla Pudoris,
Ediſces? Vinclis ſe tenet unda ſuis.
Concreto durata gelu ſtat: labilis ultrò,
Dedidicit mores Naïas ipſa ſuos.
Indole ut unda fluat, frænat vis. Diſce tenerî.
Ingenio virtus imperat una ſatis.

Id.Epigr. LXXI.

Alget ubi merſus glaciato Ignatius alveo;
Dum properat nuptæ Prædo Pudicitiæ;
Obſtupuit primò: ſua mox quoque frigora ſenſit:
Obriguit ſubito Cypria flamma gelu.
Undis nata Venus, mendax jam fabula: ab undis
Non oritur: jam undis ſed Venus emoritur.
An turpis puduit Gnatæ? prolemque decoram,
Indè Pudicitiam vos peperiſtis, aquæ.

Id.Epigr.LXXII.

Idaliæ dum Verna Deæ ruit: atque pudicum
In thalamum Mœnas Cypria bella ciet;
Lojolam incurrit: medio qui gurgitis alveo,
Unâ alget gelidâ merſus, & ardet aquâ.
Agneæ, nempè, urit Amor: ſic jura Pudori
Sarta tenet: Cyprii victor & hoſtis ovat.
I, tumeas arcu poſthac, jaculiſque Cupido.
En cadis (arma hæc ſunt vitrea) & ictus aquis.

Id.Epigr.LXXIII.

Quantus eras, glacie, Ignati, cum armatus acutâ,
Sancta tueris amans jura Pudicitiæ?
Vinctus adhuc, hoſtemque manu torpente fatigas:
Dumque tremis toto corpore, tunc ſuperas.

Victor, vel omninò ludendi nescius, in Trudiculorum ludo Theologum, virum in primis Clarum, Christo lucratur.

Epigr. LXXIV.

O Quis Lojolæ novus incidit ardor, ut olli
Ludere, sepositâ vel gravitate, vacet?
Aspicis, ut globulis clavâ detrudit eburnis
Adversas, nullâ callidus arte, pilas.
Devictumque hostem Christo devincit. Age, isthæc
Ludens? cum tractas seria, quid facies?

Id. Epigr. LXXV.

Quisquis es, haud æquo Lojolam Marte lacessis:
Impare inexpertum ludere sorte jubes.
Ipse Trocho suetus, seu clauâ immittis in orbem;
Seu quà se curvat Portula, trudis ebur.
Propellitque pilam pila, proturbatque, timentem
Nil sibi, compingens sæpè vel in barathrum.
Nudus ab arte Throchi, palmam at Lojola tenebit.
Omnia cum teneas, nil tamen ipse tenes.

Id. Epigr. LXXVI.

Amisisse manum hancne doles? lusisse satis te
Mox benè, vel malè cum luseris, ipse scies.
Victor ad arbitrium cum te formaverit, idem
Ipse sui; victo tunc tibi Laurus erit:
Victor & ipse tui, prisci benè Transfuga moris:
Tota hominis parvo ut vertitur orbe salus!
Tantum opus errantis dextræ! Nunc dicere fas est:
Si non errasset, fecerat illa minus.

Id. Epigr. LXXVII.

Quàm benè, Dive, jocos in seria vertis eidem,
Seria qui ludens verterat ante jocis!

Victus ubi imperio cessit Victoris; Olympi
Victor amans, domino vel pede calcat humum.
Hoc pacta est pretio victoria. Sanguine Numen
Quas, animas ludo, scilicet, ipse paras.
Ludere jam totis poteris, Lojola, diebus:
Dat labor haud aliis, quas tibi ludus, opes.

Aperit anteactæ vitæ suæ crimina Confessario: Sicque improbum hominem ad Christum convertit.
Epigr. LXXVIII.

SIsteris, Ignati, sibi neu velit ipse nocere,
Innocuus nocui Iudicis ante pedes?
Erroresque aperis vitæ, labesque priores:
Mersa iterùm ut mergas crimina, plùs lachrymas.
Hæsit adhæc: tacitoque oculos monitore recludens;
Seque tuo in fletu vidit, & erubuit.
Nec satis: ex imo collectas pectore sordes,
Mox etiam lachrymis eluit ille suis.
Quæ tua virtutum facient decora inclyta; Christo
Si capiunt animas crimina, Loylide?

Tam navum divinæ Gloriæ, & salutis animarum Administrum Dæmones tanto odio insectantur, ut pluriès, unum sibi præ cunctis viventibus inimicissimum, atque infestissimum esse fateantur.
Epigr. LXXIX.

TAm nocuũ sibi, Dive, caput quidni oderit Orcus?
Quidni amet, à censu ditior Æthra tuo?
Major at undè tibi laus? An quòd te oderit Orcus?
An quòd amet, quàm Styx oderit, Æthra magis?
Par utrimque reor: Quisquis namque optimus ille est;
Qui meruit summè displicuisse malo.

Id.

Id.Epigr. LXXX.

Quod Lojola unum te Styx vel præ omnibus odit;
A Stygio major gloria teste venit.
Mortales inter Styx nil magis oderit? Ergò,
Mortales inter nil amat Æthra magis.

Aliquot Amoris huius,& odii argumenta. Iam jam occidendus, è Cælo Angeli voce defenditur.

Epigr. LXXXI.

INfesto dum te peteret clàm furcifer ense,
Dive, tuos subitò corruit ante pedes.
Excussi tunc namque Polo vox fulminis instar,
Sacrilegum attonitâ perculit aure Caput.
Quid timeat Pietas? Ipsum vel tuta sub ictum est.
Qui pro se vigilet, quique tuetur, habet.
Bella ciere Polo licet hinc dediscere: nostras
Exarmat Superûm vox licet una manus.

Traditur custodiendus, non Angelo, ut fit, sed Archangelo.

Epigr. LXXXII.

NAscimur, & laqueos inter versamur, & hostes;
Spes nec ab hoste fugæ est ulla, nec à laqueis.
Additus hinc Custos Cælo Aliger: Ille tueri,
Ille hostes doctus ludere, & ille dolos.
Quin etiam, teneri Mores dum format Alumni;
Se Duce, quà liceat pergere ad Astra, docet.
Ima hæc sed superûm curant Subsellia. Custos
At cur Lojolæ major ab Axe venit?
Major ab Axe venit: Lojolâ haud unius uno
Est hominis cura hæc Cælica; at Orbis erat.

Vel bonum Ignatii nomen subitâ Calumniatoris morte vindicat Deus.
Epigr. LXXXIII.

LOjolæ dum fortè stipem pia dextra rogaret,
 Hispanâ clarum nobilitate, Ducem.
Hunc aurone juvem, ignis, ait, quem jure cremaret?
 Igne ego, si fallor, vindice dispeream!
Dixit: at hoc meritò quàm dixerit, accipe: Mox,ut
 Igni Lojolam devovet, igne perit.

Parisiis instituendæ Societati Iesu, Auctore Ignatio, socii omninò decem coalescunt?
Epigr. LXXXIV.

PRima decem stetit alma Viris, quæ Nomen Iesu
 Lojolâ præfert sub Duce, lecta Cohors.
Auguror hinc:decimæ vis fortior irruet undæ:
 Jam Cave, Lutheri Cymbula,naufragium.

Hos inter primus Ignatii Socius Petrus Faber.
Epigr. LXXXV.

ADdere,Petre,novo,prior addere,Petre,Maniplo:
 Prima tibi victâ de Styge Palma viret.
Ipse præit te Dux Ignatius, Ilicet, Ignis
 Non deerit Fabro ad prælia,ut arma paret.

Post

Post Fabrum, Xaverium, diu reluctantem, Christo, sibique tandem adjungit.

Epigr. LXXXVI.

INdolis antè diu magnæ Lojolâ, paremque
Orsis Xaverium destinat ille suis.
At non iste capi, nullâ sinit arte teneri:
Aucupiique pios luserat usque dolos.
Quid faciet? Dignamne ferat servire caducis
Cœlo animam, Jesu quæ Ducis arma regat?
Jesu, igitur, lachrymas, Jesu offert vota: precantis
Quæ madeant lachrymis, irrita nulla cadunt.
Pende libens lachrymas, Lojola, ac lumina, opus si est,
Pende libens: animæ haud hoc, pretium Orbis erit.

Id. Epigr. LXXXVII.

Siste, quid elusum doleas, Lojola, laborem?
Crede mihi, haud facili res tibi cum Juvene est.
Gloriolæ rapitur studiis: alia omnia corde
Dum versat; sibi Crux non sapit illa satis.
Quid loqueris surdo? superest spes unica, durum
Ut lachrymis Juvenem molliat Æthra tuis.
Proh quantis opus hic lachrymis est! Scilicet, Indos
Quæ maculis omnes eluat unda satis.

Id. Epigr. LXXXVIII.

Plaudite Victori, superûm Agmina, plaudite Victo.
Hoc sua vel Victo laurea Marte venit.
Jam Christo dedit ille manus. Victore vel ipso
Nescio quid majus, credite, victus habet.
Xaverium vicit Lojola; sed omnia vicit,
Omnia dum calcat, se quoque, Xaverius.
Omnia non vinces, ni tete viceris. Atte,
Quò vincas (sic fas) omnia, vince prius.

Id. Epigr. LXXXIX.

Una eadem Palma est, duplex sed utrique Triumphus:
Palmaque Xaverii nam quoque Xaverius.
Quæque diu lachrymis frustrà quæsita, vel uno
Lojolâ demùm parta monente fuit.
Jacturamque animæ miseram præque omnibus unam,
Ut monuit, durum molliit aure Virum.
Nil homini prodest Mundus, vix dixerat; At sic
Proh quantùm Mundo profuit unus homo!

Id. Epigr. XC.

Mille tuâ nec signa Deûm, Lojola, nec aræ,
Xaverii validâ quæ cecidere manu.
Nec tibi prima dies, aut Cælite lotus in undâ,
Xaverio at, maculas Sol posuere suas.
Ipse tot haud vacuis revocasti membra sepulchris,
Quot revocat vitæ reddita Xaverius.
Quin & præcipites pronâ jam luce Iugales,
Iussit stare diu, Sole stupente, diem.
Quos Cineri post Roma tuo, decrevit honores,
Fecit adhuc vivo jam India Xaverio.
Cuncta hæc Xaverii; major fecisse vel ipsum,
Ignati, tua sed Gloria, Xaverium.

Xaverianæ Sanctimoniæ Gustus.
Si quid apud Jndos Xaverius patitur; Christus Cruci affixus sanguine fluens, paternâ apud Hispanos in domo, dolet.

Epigram. XCI.

CRedetis? Roseo Christus madet imbre: Comesq:
Fit; sua Saberum tristia Siqua premant.
Hic patitur, dolet ille: mali sed dispare sensu:
Quæ pæna huic, Christo nam quoque vulnus erat.

Æsiade

Æsiadæ sua sic qui donat vulnera; Dius
Iam sibi Saberi vulnera cœpit Amor.

Id. Epigr. XCII.

Non tua, Saberi, sibi Christus vulnera cœpit:
Tu Christo figis vulnera, dum pateris.
Iam tibi parce: pati posthac, cave, vulnera, nempè,
Ni tibi vis, Domino, parcere, parce tuo.

Id. Epig. XCIII.

Cum Heliotropio componitur.

Sublimi flos caule tumens, tornatus in Orbem,
Flavicomum ex viridi tollit ad Astra caput.
Solis amans, solisque comes, gnarusque viarum:
Itque solo fixus vel pede; vt ille Polo.
Occidit, occiduum; exoritur Solem aspicit ortum:
Is florem cari sideris urget Amor.
Mitte hæc. Vel famulum in pœnis sectatur Iësus:
Solem hic flos; florem sol amat, & sequitur.

Lutetiæ Parisiorum Societas Iesu ab Ignatio, ac sociis inchoatur in Monte Martyrum, & in Templo Beatæ Virginis, ipso ejus Assumptionis die.

Epigram. XCIV.

SVmę parem meritis, Populosa Lutetia, fastum:
Noxia non poteras esse, vel ipsa nocens.
Ænea Lojolam glans quòd tua læserat; idem,
Redditus en Patriæ, ex Milite Ductor ovat.
Ipsa Duci das arma: Duci das ipsa Maniplum,
Quo latè Hispani Nominis aura sonat.
Quin hoc aucta, alio victrix sub sidere, Roma
Imperio domitos calcat & Antipodas.
Unius spolium Romæ fit & Orbis: Olympo
Cumque suo, in spolium jam Deus ipse venit.

Arx ruit una: unus facto pede corruit: Orbis,
Hi ni corruerant; stare diu haud poterat.

Id. Epigr. XCV.

Quæ te, Diva, dies redivivam ad sidera vexit,
Natalem recolit Gens Loylæa diem.
Tu Cælo, Terris simul hæc innascitur: Astro
Edita non poterat nobiliore frui.

Id. Epigr. XCVI.

Nata tuæ, mea Diva, domi est Loylæia Proles:
Luna tumet, cui dum subditur, ante pedes.
Sorte sua felix! olli quid ni omnia vernent?
Nempè, tuus nati vernula, Virgo, sumus.
Nunc vernæ; lecti at posthac in pignora: panso
Visa Ignatiades velle fovere sinu es. *

Id. Epigr. XCVII.

Templum dictum, Sancta Maria ad Martyres.

Lojolæa Cohors, quæ te Cunabula natam
Excipiunt, alto quà tumet Ara tholo;
Nasceris, heu, tumulos inter, Monumenta, cruentæ
Quæ necis, & fuso saxa cruore natant.
E cunis prædisce tuis, quo nata sub Astro es.
Sors Ignatiadum est, Aspera ferre, mori.

Id. Epigr. XCVIII.

Ah cave, nè duram paveas, vel parvula, sortem,
Gens mea, nè sævis fata cruenta modis.
Quæ Iesu, hæc erit & tibi sors. Crux ipsa decori est.
Hæc Iesuitæ Gloria, vita mori.

Id. Epigr. XCIX.

Virginis ante aras, Iesu jurata, Phalanges
Inter purpureas, ad Sacra Busta, Manus:
Exceptam te Diva sinu, teque ubere lactans;
Ad pia pro Iesu vulnera sic animat.

Er-

* *Sic P. Martino Gutierrez, insigni pietate, Viro aliquando visa B. V.*

Ergo age, virgineum, tantæque Parentis Alumna,
Lac bibe, pro Gnato quod fluat indè cruor.

Romam ingressuro ad Societatis approbationem obtinendam, Deus Pater unà cum Filio, Crucemgestante, se videndum præbet: eidemque Filio in Servum traditum, benignissimè commendat.

Epigr. C.

QUò tua te rapit, Ignati mens? Æthera in ipsum
Tete agis? In Terras an Polus ipse venit?
Summa Trias, nimiâ velans se luce, revelat
Iam se, luminibus pervia facta tuis.
Arcanis & ades, dum te commendat amanti
Gnato: cui de te fatur & ipse Pater.
Ergo age, Romuleas hilarem tete infer in arces;
Namque suam Iesus hìc tibi spondet opem.
Mutavere vices. Gnatus de more Parentem
Non pro te; Gnatum sed rogat ipse Parens.

Id. Epigr. CI.

Ignatius ad IESVM.

En fausto Dominam pede, Iesu, intramus in Urbem:
Sæva tuæ referens quid necis arma, præis?
Tristia Crux præfert & nomen, & omen; amari
Dulcia num præbent pocula fontis aquæ?
Sacchara non veniunt, cannis ni pressa Sicanis:
Pastaque mel dulci rore laborat Apis.
Quidquid id est; hoc cuncta virent mihi dulcia trunco
Te socio, Mors, Crux vel sapit ipsa satis.

Id. Epigr. CII.

Prælonga pressus Terras Cruce visit Iesus;
Dive, oculis dum se præbuit ipse tuis.
Quid querimur? nostris veniunt hæc germina terris
Ipse Crucem, huc Iesus, si redit Axe, feret.

Societatis Institutum à Paulo III. approbatur, exclamante : Digitus Dei est hic.
Epigr. CIII.

SAcrorum Pater, Interpres quoque Numinis: & cui
Pandere fas Cœlum, & claudere ad arbitrium;
Hic sancita probat dum Lojolæa; novamque
Militiam, Iesu sub Duce, ad arma creat;
Conscius arcani, tacitumque è pectore Numen
Evolvens; dio hæc pollice scripta docet.
Paule,* Dei digitum agnoscis? sed postea Clemens
Ecclesiæ hoc novit brachium & in digito.

Ab Ignatio ad Indos mittitur magnus Xaverius.
Epigr. CIV.

MItteris extremos hospes Saberus ad Indos;
Ipsa ubi lux veræ nil propè lucis habet:
Caligatque dies. Supplex tete invocat Eos:
Cui Sol occiduis exoriare plagis,
Seque, diem Mundo quæ parturit una, pudendam,
Te procul, heu, noctem quàm pudet usquè pati?
Ergo orere: exortuque tuo Nox occidet: & mox
Hesperus Eoi Phosphorus Orbis erit.
Id. Epigr. CV.
Alluditur ad idem Clementis dictum.
Quòd tibi prima dies subiecto servit Eoo:
In tua quòd Nais jura, vel Inda fluat;
Uni, Roma, Viro debes. Xaverius Urbi
Orbem alium, & Sceptris addidit ille tuis;
Quæ tibi non speres? tua Gens Loyleïa dextra est;
Hæc digitus: faciet tota quid indè manus?

So-

*Societas Dexterum Ecclesia Brachiū dicta à Clemente VIII.

Socios per totum Terrarum Orbem spargit, illud urgens, Ite, omnia incendite.

Epigr. CVI.

NAm quæ, Dive, tuo Tellus non ardet ab igne?
Ignati: nostro quæve cruore vacat?
Ite, ais, atque omnes incendite, & inflammate.
Ivimus, & Jesu fervet ubique fides,
Et spes, & pietas, & amantis Pectoris hospes
Fax: abiere statim crimina & in cineres.
Jam latiis dat odora focis, quæque alluit Indus
Germina, quæ calido Sidere adurit Eos.
Quin & Amazonico quà ditior unda fluento
It, Romæ famulas subdita vectat aquas.
Imperio quî, Roma, tuo tam dissita jungis,
Quæris? Brachio in hoc sat tibi longa manus.

Aggregatur Sociis Franciscus Gandiæ Dux ad Ignatii preces: Petro Fabro, morte prærepto, suffectus.

Epigr. CVII.

BOrgius hic est, Gandiaci cui culmina sceptri,
Cui cinis, & magni Cæsaris Aula nihil.
Namq; ubi Aragonidû flos, heu, pulcherrimus, ungue
Præfectus celeri mortis, Elisa perit;
Attonito par hæsit, Elisam frustra in Elisâ
Dum quærit: primi sic nihil oris erat.
Ludimur his, miseri, rebus, malè ludimur, inquit.
Una hæc proh quantum tam brevis hora tulit!
Hinc Aulæ, sibique, ac toti præmortuus Orbi;
Quod sibi Mors raperet postea, nil habuit.

Id.Epigr.CVIII.

In cineres ierat, fato sat præcoce, cæsus
Præcipiti lethi falce repentè, Faber.
Parva dolet, raptasque sibi, dum Messibus Agri
Flavescunt, operas, ingemuitque Cohors:
Lojolæque datur lachrymis mox Borgia, Fabro
Suffectus, sociam quò sibi præstet opem.
Quantùm oculis, Lojola, vales plorantibus! En ut
Amittis Socium, dat tibi at Æthra Ducem.

Borgianæ Sanctimoniæ Gustus. Dum paritur, unà cum Parente à morte per miraculum liberatur.

Epigr.CIX.

BOrgiolum paritura, suo cum pignore, ab ægro
Penè Parens nixu mox moritura, perit.
Assisio præcincta latus sed fune, propinqui,
Eludens, lethi vicit uterque minas.
Ingenii vis mira? Parens Partu ecce soluta est;
Cum se bis tortâ cannabe cincta ligat.

Id.Epigr.CX.

Difficiles Genitrix Lucinæ experta labores;
Heù, propè Borgiolum, quam parit ante, necat;
Sed te fata juvant, Francisce. En fœmina Terris
Te moritura; Polo mortua te pariet.

Id.Epigr.CXI.

Ad cunas moreris propè, Borgia, vivis ad urnam;
Ah melior cunis funeris urna tibi est.
E Matris prodis utero moriturus: Elisæ
A tumulo vitæ perpetis Omen habes.

In perfectioris vitæ primordiis Francisco visa labi de Cœlo Mithra gemmis coruscans septiès: aliquando etiam Crux.

Epig.CXII.

LUdit in aërio Deus hoc è munere Campo:
Nam CruxBorgiadæ,missaque Mithra Polo est.
An Res est eadem geminâ sub imagine? Nempè,
Mithra foret cui Crux,Crux cui Mithra foret.

Crux sola de Cœlo Cur missa.

Epig.CXIII.

FRancisco sine cur Jesu Crux labitur Astris?
Arma,Hæc,queis Dius sæpè triumphat Amor.
Pœna placet Virgo: dolor hic arridet Amori.
Cum Jesu Cruce Crux, scilicet, ipsa caret.

Componitur cum D.Francisco Assisiate.

Epigr.CXIV.

QUid ni fas quæri, simplex cur munus utrique
Francisco, facili Numinis aure, venit?
Borgiadæ Crux missa Polo est,non vulnera:nō Crux,
Sed sunt Æsiadæ* vulnera missa Polo.
Ille Crucem, Plagas habet Hic:nempè,omnia,& uni
Dia monet Dominos sic dare dextra; nefas.

Id.Epigram.CXV.

In Cruce non simplex,aut vulnere Munus utrique
Francisco est:uno in munere utrique duplex.
Olli Crux,huic vulnera:sed tenet utraque uterque?
Nam sua Crux plagis,& sua plaga Cruci est.

So-

* *Assisium Straboni,aliisque Æsium quoque dictum,*

Societatis Constitutiones dum scribit Ignatius; Spiritus Sanctus scribentis capiti linguæ igneæ formâ insidet.
Epigr.CXVI.

MUtus Amor, Muti spirabile Numen Amoris;
Quid Verbi præfert Symbola mutus Amor?
Scribentis capiti dum pendulus insidet; atrum
Et calami radio lucis inaurat opus.
Nosco, silens hæc lingua oculis quid, Dive, loquatur:
Nempe, tuo Deus est, qui loquitur calamo.

Id.Epigram.CXVII.
Alluditur ad Pauli III. de D.Ignatij Instituto dictum:
Digitus Dei est hic.

IEssæi caneret Vatis dum lingua, Superni
Scribentis Calamus Flaminis illa fuit:
Flaminis at nunc (mira fides!) en lingua Superni,
Lojolæ scribens pollice, fit calamus.
Hinc digito Lojola suo dum scriberet; ultrò
Apposuisse Deus dicitur ipse manum.

Id.Epigr. CXVIII.
Dius Amor, Deus ipse, Dei Gnatique, Parentisque
Almâ qui cordis prodit ab illecebrâ:
Cernis, ut innocuæ velatus imagine flammæ,
Inque tuum, Ignati, decidit Axe Caput.
Imbuit hæc animum fax: hæc Orbisque Magistrum
Laurea, linguato quæ pluit igne, creat.
Lapsa Polo est eadem Solymeïâ in Arce Sionis,
Quæ fidei primos instituitque Duces.
Te Gnato Genitor commendat: Gnatus amico
In sua signa Ducem te legit alloquio:
Indè novo Te Dius Amor nunc munere donat;
Quisque suo ut donet munere, Tota Trias.

Adest

Adest, easdem Constitutiones scribenti, Beata Virgo, easque approbat.
Epigram. CXIX.

MIlitiæ dum jura suæ Dux conderet; olli
Adfuit augusto Numinis ore Parens.
Scribentem multa edocuit, nutuque probavit
Ipsa, suus quæ vel scripserat ante Cliens.
Proh Cœli dictantis opus, dignamque Magistram!
Hoc Phœbus radio scriberet ipse suo.
Diva, fuisse Dei hìc digitum, cum tàm benè nosses;
Tu quoque debueras apposuisse manum.

Præcipuæ D. Ignatii Virtutes. Profundissima Humilitas, quâ sibi neminem præter se unquam displicuisse, Sanctè affirmavit.
Epigr. CXX.

AUdin? Mira docet planè auribus absona: Nullū,
Præ se, Loylide displicuisse sibi.
Nempè, humilis laus hæc animi est: contraria dictis
Ipsa adimunt oculis facta probata fidem.
Vivere ab Urbe procùl, sociis hæc ore Parentis
Tota erat exilii pœna carere sui.
Hæc Populi, hæc Dominæ fuerant vota ultima Romæ,
Lojolæ viso, vel semel, ore frui.
Sæpè etiam Superos ipso deduxit Olympo:
Alloquiis captos, detinuitque suis.
Dum Terris, Cœloque placet; sibi displicet uni?
Nempè, his ut placeas, fac tibi displiceas.
Contrà operi Merces, pœna hæc æquissima culpæ est;
Displiceat cunctis, dum sibi quisque placet.

Ne

Nè primis quidem Vanæglorię Commotiunculis est obnoxius Ignatius.
Epigr. CXXI.

VSque recens dio tibi nectare depluit Æther:
Usque novo ditat munere, Dive, sinus.
Nullus at indè Tumor tangit te: nulla Tumoris
Tentamenta, levis primaque Gloriolæ.
Proh Animam, cui tanta Dei se infudit amantis
Gratia; nec tantis plena redundat aquis!
Auctaque decrescit magis. En cur? Conscia veri,
Quî tumeat? Nil se, nil videt illa sui.

Nè exprimi quidem se tulit: vetuitque miraculo vultus, sese in alios, aliasque formas commutati.

Epigr. CXXII.

LOjolam pretio quò pingeret ubere Zeuxis;
Subdolus occulto se tegit ille loco.
At non hunc latet: immò astum quò luderet astu,
Arte nova, cœptum vix, citò turbat opus.
Nam referens alios, aliosque in corpore vultus;
Ancipites dubio distinet ore oculos.
Fingit & hos, illosque; alios, aliosque refingit:
It, redit, & vano est fessa labore manus.
Quid sibi non faciet Virtus Loylæa licere?
Aut ubi non Pietas, dum simulare pium est?
Id. Epigr. CXXIII.
Dive, tuos cur nulla valet sat pingere vultus,
Vel multâ satagat nobilis arte Manus?
Forma tibi Cœlo est propior: Cœleste colorum,
Qui benè flos hîc os exprimat, ullus adest?

In-

Intima lux, animæ facies undè emicat, ipsas
Visa est, mortales irradiasse genas.
Ergò color tibi, Pictor, ubi quæsitus Olympo est;
Si vis Lojolam pingere; pinge animum.

Id. Epigram. CXXIV.

Exprimit invitum te dum; nè te exprimat audax
Dextera, Dive, unus mille vel ora refers.
Induis hæc, mox hæc idem exuis. Alter, & usque
Alter, Apellæum ludere pergis opus.
Sic quæ tot potuit Lojolæ pingere vultus;
Mirum! Lojolam pingere non potuit.

Id. Epigr. CXXV.

Unum Lojolæ quò pingas dædala, vultus
Quàm multos pingis dextra, nec assequeris!
Et pretio frustrata tuo, frustrataque voto es,
Vis, ergò, meliùs pingere, pinge nihil.

Id. Epigr. CXXVI.

Quò, Lojola, tui Zeuxis non exprimat oris,
Ex vero in tabulâ ducat & effigiem.
Una tibi species nulla est, nulla oris Imago
Est eadem: simul idem unus es, atque alius.
Tam tibi, Dive, sciens os est jam fallere? Nemo
Te tamen est animi simplicitate prior.

Id. Epigr. CXXVII.

Ore tot en formas Ignatius induit uno;
Nè simulet formam picta Tabella suam.
Mira fides! Duplici vitium est se vertere vultu;
Ast hic multiplici vertitur, & bonus est.

Pietas perennibus lachrymis, penè ad cæcitatem irrigata: in quam nè incurreret, perfectissimum lachrymarum arbitrium habuit.

Epigram. CXXVIII.

QVid tantùm indulges lachrymis Lojola? gemẽtes
Flebilis en oculos, heu, terit unda satis.
Ah caveas, longis nè fletibus obruta, noctem
Extinctâ longam lumina luce ferant.
Hoc an habes oculis lethum sat nobile? Nempè,
Non moritur letho nobiliore dies.

Id. Epigram. CXXIX.

Anne Deus Lojolæ oculos neglexerit? Anne
Extingui lachrymis vel feret indè suis?
Extinctis subitò quæ sic incumbet humi nox?
Hoc melior cæco mergitur ore dies.
Ergò ubi nec lachrymis licet indulgere; nec illo,
Gaudia quo florent fonte, carere juvat;
Olli, mira viden? lachrymarum traditæ habenæ:
Illius imperio, quæ stetit, unda fluit.
Non siccis aretque oculis prior illa voluptas:
Quæ cor, vel desit lachryma, sicca rigat.
Carmeli jam Vate prior Loyleius Heros:
Plus dare, quàm pluviis jura fuit lachrymis.
Vis dispar vel jure pari: hæc imi aëris unda:
Altiùs, è Cœlo scilicet, illa fluit.

Perfectissimum in omnes animi motus imperium habet, vel citra prima eorundem tentamenta.

Epigram. CXXX.

IMperio, Lojola, tui sat clarus, habenam
Pertractas animi, qua libet usque manu.

In-

Ingenio quondam ille ferox, ſequiturque jubentis
Fræna volens, Mentis promptus ad arbitrium.
Immemor ipſe ſui; vel ſe dediſcit; & una,
Quæ Mens, quæ Recti eſt conſcia, jura ſapit.
Brutaque pars, Animæ dum ſceptra regentis adorat;
Excuſſum rediit rursùs ad obſequium.
Sic cunctis quod prima Patris culpa abſtulit; unus
Imperium ſibi jam reddidit ipſe ſui.

Id. Epigram. CXXXI.

Marte ſuo felix, animum Lojola coërcens,
Fræna pati juſſit Mentis, & obſequium.
Non illum, lutei quæ nos mala corporis urget,
Mens agitat, ſtimulis; queis ſolet, acta ſuis.
Hinc facies, Cœlo qualis poſt nubila: Pectus
Qualè maris, nullas aura ubi criſpat aquas.
Pectoris alta quies, animi pax alta, tumultus
Neſcia Mens, placidum pandit ab ore jubar
Hæc vos ſceptra juvent, Reges. Ah, diſcite, fruſtrà eſt
Rex aliis, qui non imperat ipſe ſibi.

Amor in conſanguineos adeo nullus, ut eorum Epiſtolas, ita, ut redditæ fuerant, in ignem iniecerit comburendas.

Epigram. CXXXII.

PLurima faſciculo Lojolæ redditur uno
Littera, Cognatæ nuncia fida Domus.
At non ille oculis tulit has libaſſe; ſed unà
Dicitur ardenti ſuppoſuiſſe foco.
Quàm benè! Quas tulerat, multas ea pagina curas
Unà omnes uno ſuſtulit ille rogo.

Re-

Rerum humanarum Despectus ad Cœli aspectum admirabilis: cujus illa vox: Quàm fordet Tellus, dum Cœlum aspicio!

Epigram. CXXXIII.

NOcte mades lachrymis: redeunt spectacula manè:
Nulla tibi, noctu quòd vigil Astra vides.
Namque oculis hæc præque fimo sordescit inani,
Assuetis superas cernere, Terra, plagas.
Indè reor tantis corruptos fletibus: illam
Nè videas, oculis vel carvisse juvat.

Id. Epigr. CXXXIV.

Astra lacessenti jaculis, jaculo erutus olim,
*Par, oculus, culpæ, credite, pœna fuit.
At cur Lojolæ tantùm spectasse, tulerunt
Haud impunè, oculis non satis æqua suis?
Namque impar radiis fertur persæpè ferendis,
Plùs nimio ad superas incaluisse faces.
Quin etiam multo lachrymarum ex imbre fatiscens,
Lux, heu, pænè oculis occidit à lachrymis.
Hæc Pietas, non Ira fuit. Cui sorduit Orbis;
Sic minùs ille dolet, si videt ille minùs.

Zelus divinæ Gloriæ, & animarum tantus; ut iis vacaturus, Cælo, salutisque suæ certitudine sese abdicarit.

Epigr. CXXXV.

PRæ Cælo mihi sordet humus, Loyleïus Heros
Clamat; nocturni dum videt Astra Poli.
At nè sic tumeat tanto de Judice Cœlum;
Pulchresces oculis tu quoque, Terra, suis.
Una hominis quærenda salus sit; protinùs Idem
Clamabit: Cælum præ mihi sordet humo.

Id.

* *De Philippo Macedonum Rege hoc referunt:*

Id. Epigr. CXXXVI.

Quòd tibi sordet humus, quòd Cœlum, Ignatius; indè
Major humo, Cœlo vel mihi major eris.
Quantus eras, pede tot Domino calcare paratus;
Si qua Deo laus hinc, vel levis illa, foret!
Sat, Lojola, sapis. Qui sic amittere curat;
Sic magis amissas hic sibi servat opes.

Id. Epigr. CXXXVII.

Nulla tui cura est, Ignati. Haud ipsa beato
Sors, visi veniens Numinis ore, capit?
Certus es, incertæ sortemque subire salutis:
Illa vocent vel te præmia, nolle mori;
Incrementa salus animorum siqua, Tonantis
Siqua ferat, damnis Gloria parta tuis.
Te nec amas, nec Numen amas sic: ora tueri
Ardet Dilecti dulcia, quisquis amat.
Fallimur. Est hic Amorque sui, est & Numinis idem:
Verè amat is, gratis, credite, quisquis amat.

In Deum Amor eminentissimus; adeo ut vel flosculi aspectu totus in Deum raperetur.

Epigr. CXXXVIII.

Siccine, Dive, solo tete abripis? Omnis in Æthram,
Inque Deum, te flos vel rapit unus, abis.
Indè legis proh quæ tibi gaudia! Flore propinant
Mel sibi; tu Divûm sed tibi nectar, Apes.
Non loqueris flores: flores tibi, Dive, loquuntur:
Quo latet, elingui flore Deus loquitur.

Vno divinarum rerum Cantu Æger convalescebat.

Epigram. CXXXIX.

Dum te longus habet languor, Lojola; canentûm
Ore ubi laus sonuit Numinis, indè vales.

Mira fides! Nullas adhibentque Machaonis artes,
Pocula Pæoniâ pota nec ulla manu.
Authorem medicæ quis te neget artis, Apollo:
Uno jam constat Carmine parta salus.

Id. Epigr. CXL.

Dive, trahis longo languens suspiria morbo,
Est nec, Apollineâ qui levet arte malum.
Una Dei, numeris ubi laus tibi vincta canoris,
Insonat; ægro de corpore languor abit.
Nempè, animum sua sic implent bona gaudia;ut ægri
Pars quoque vel sua sit corporis, ipsa salus.
Dius Amor, nova quæ patras miracula! De te,
Quo languent Animæ, languida membra valent.

Id. Epigram. CXLI.

Non has ipse artes, non munera novit Apollo:
Non medica herbarum vis ea lecta solo est.
En medicum bibit aure melos Lojola: jacenti
Mox est & cantu reddita sponte salus.
Floribus ipse oculis Deus hæc depinxit: ad aures
Pharmaca, nunc numeris facta canora, sonant.
Pulchrior ut redeat medicis è floribus; ægro
A numeris rediit dulcior ista salus.

Id.Epigr.CXLII.

Dum Lojolææ Mors fila abrumpere vitæ
Cogitat, hæc cantu peste soluta suâ est.
Audiit illa: modis lenitaque dulcibus, ictum
Distulit, ingenii non memor ipsa sui.
Garrule, quid mortē infamas? Caret auribus an Mors?
Surdane, cui sic jam Musica dulcè sapit?

Dei, & Christi videndi desiderium ardentissimum; sic ut ad mortis spem, vel cogitationem exultaret, & in extasim raperetur præ gaudio.

Epigram. CXLIII.

FUneris ò quis Amor! cunctis Pavor, ilicet, uni
Votum est, Ignati, jam tibi, posse mori?
Quin dulci caperis vel mortis imagine, quæ te
Abripit: hinc vitæ sensus & omnis abest.
Hoc aliis Mors ipsa facit, vitâ exule. Nonne,
Ignati, hoc est, quod non moriare, mori?

Id. Epigram. CXLIV.

Exuccis Mors fœda genis, cæco horrida vultu;
Est formosa oculis, Dive, sed illa tuis.
En moreris, quòd non moreris. Te sola sepulchri
Spes fovet, & vitæ Mors fit alumna tuæ.
Speratæ si dulcis alit te Mortis Imago;
Vivere jam speres: sic moriere satis.

Id. Epigram. CXLV.

Ultima, Dive, tuæ vix sese linea vitæ
Obiicit; atque hilari cor tibi fronte salit.
Namque is habet te Mortis amor; sic ardet, & urget;
Longa tibi ut sit Mors lucis & una dies.
Ah nimis impatiens vitæ es! miserata dolentem,
Hinc Te Mors, tantùm vel meditata, rapit.
Scilicet, hæc gula lethi est. Vitæ te abripis usu:
Discere, quid Mortem Mors sapit ante, cupis.

Mira in oculis Pudicitiæ vis, quâ vel uno intuitu cogitationes impudicas fugabat.

Epigram. CXLVI.

SI quis Acidaliis arderet ab ignibus; ignes
Intuitu extinctum diceris isse tuo.

Quæ, Lojola, oculis præbes miracula! Vivit
Queis Venus; his Venerem cogis at ipse mori.

Id. Epigr. CXLVII.

Ut vidi, ut periit, qui me malus abstulit, ardor:
Lojolæ ex oculis hæc mea vita venit.
Nata oculis, perit ex oculis Venus. An quia Gnatam
Turpem adeò pudeat se genuisse, necant?

Epigr. CXLVIII.

Sæpè Amor aufugit fracto Cythereïus arcu;
Ignati, aspectus nec tulit ille tuos.
Heu pudor! En fragiles, quibus, heu, succūbimus armis!
Unus quæ potuit frangere & intuitus.

Id. Epigram. CXLIX.

Hic oculo nec amicus Amor, nec amicus Amori est
Huic oculus: sic is sat benè cæcus obit.
Hinc merito cæcâ depictus fronte: Periret
Namque oculis, si se cerneret, ipse suis.

Id. Epigram. CL.

Qui te, Dive, videt, Venerem occidisse videndo;
Quæ Venus, & quis Amor Cyprius, ipse videt.
Fœda suâ est cum Prole Parens: cavet indè videri,
Si Venerem cupias perdere; visa perit.

Id. Epigram. CLI.

Quid Sancto pugnas oculis, Lojola, Pudori?
Vis, pugnax oculis ut cadat icta Venus?
Nempè, his pugnaras Veneri: Cui victima quondam
Cæsus erat; cædi hanc his Pudor ipse velit.
Sic oculis reparas, oculis quæ damna ferebas:
Et potuit Pudor hinc vivere, & indè mori.
O age, perque oculos aliis infunde. Memento
Te hausisse ex oculis, Dive,* Pudicitiam.

Id.

* *Donum castitatis adeptus, visa tantùm Deipara.*

Id. Epigram. CLII.

Primi in amore Duces, & primæ ab Amore sagittæ,
Vos oculi: quin hinc has trahit omnis Amor.
Lumina si tollas, certo is nec vulnerat ictu:
Nec quo jam figat vulnera, inermis habet.
Hæc olim. Ferit ex oculis Agnæa: pudico
Illa sui ex oculis pectora amore cremat.
Jam furere; atq; arcum jam, perge, age, frange Cupido:
Tela nec his oculis jam tibi, nec Pharetra est.

Id. Epigr. CLIII.

Sancte Pudor, quæ te arma tegant; cum Cyprius igni
Te Puer, & jaculis te petat ille suis?
Improbus ah nimiùm est: unis non dimicat armis:
Quemque ferit jaculis, hunc simùl igne cremat.
Quin etiam ferit igne, cremat jaculisque: fit ignis
Et jaculum; jaculum fit quod & ignis erat.
Lojolæ en pluvios oculorum fletibus orbes:
Frangere vis? Clypeos; mergere? habebis Aquas.

Id. Epigram. CLIV.

Naufragus ah quoties, Paphiis tumulandus & undis
Mox fueram, Ignati, ni mihi Portus eras.
Quin etiam, medio malè dum jactabar ab æstu;
Sæpè oculis posuit sæva procella tuis.
Navifrago sic sæpè Salo, duo sidera, Fratres,
Visa salus miseris, spes quoque visa rati est.
Nempè, oculis tàm chara tuis, hoc Astra dederunt,
Ut sint jactatæ Stella Pudicitiæ.

Id. Epigram. CLV.

Dicebam: Ex oculis veniant cum Cypridis ortu;
Indè fluant lachrymæ, sic fluit undè Venus.
Ah nimiùm lachrymanda Venus! Sic lumina fletu
Ipsa suo, ut pariunt crimina, & ipsa fleant.
Lojolæa sui nunc Lumina fœta Pudoris,
Luce creant niveam casta Pudicitiam.

Æger, atque exili admodùm voce, in campo dicens, ad immensam Populi multitudinem, ad tercentum, & amplius passus optimè auditur.

Epigram. CLXI.

QUàm tenuis tibi vox: ægro vix corpore & ulla
Ignati: Loqueris, verbaque nulla sonant.
Ast eadem procùl it: campoque patente perorat: (est,
Vocula nec minimo deperit ulla sono;
Obstupuitque sequax, ubi tete ingens hominum vis
Audiit: attonitâ seque sat aure beat.
Amittunt aliæ vires: acquirit eundo
Isthæc, quæ labiis vox fluit una tuis.

Est simul Romæ, & Coloniæ, ad Leonardi Kesselii, eum videre cupientis solamen.

Epigr. CLXII.

INclyta lunato quà se orbe Colonia curvat:
Ac tenet insignem sat pietate virum:
Lojolæque frui vultu vetat. Ille tueri,
At se dat, duplici congeminatque loco.
Unus es, an geminus? geminas simul incolis Urbes,
Dive, ubi se Rhenus, se Tybris urget aquis?
Unus es, & simul es geminus; tàm dissita spectem
Si loca: si quid agas; unus, & omnis homo es.

Id. Epigr. CLXIII.

Te flavis Tyberinus aquis, Ignatius, unà
Te procul, attonitâ Najade, Rhenus habet:
Nempè, ades, agnato quà culta Colonia rivo est:
Et quà septenis Urbs sedet alta jugis.
Imperii fuerat Latii meta ultima Rhenus:
Unus es, at toti par simul Imperio.

Quid-

Quidni Romano fieres par, scilicet, Orbi?
Orbe ipso major jam fueras animo.

Vel ad Indos Româ Xaverio vocanti præsto est contra Barbaros.

Epigr. CLXIV.

IRruerat, flammisque minax Badagus, & armis:
Obvia nec fuerant, qui satis arma ferant.
Unus erat, sed inerme Caput, Saberus: in Hostem
At ruit: in certam nec pavet ire necem.
Christiadûm sic urget Amor: quos ante sacrato
Fontis adhuc madidos tinxerat imbre latex.
Hoc tulerit Lojola? Alio vel ab Orbe vocanti
Advolat, auxilio quò juvet ille suo.
Addit se lateri Comitem: radiisque corusco
Barbaricas subitò disiicit ore manus.
Sat venisse, sat & vidisse: hostemque videndo
Perculit. Hæc oculis laurea quanta fuit!
Magna licet fuerit laus, quòd sic vicit: ad Indos
At quòd sic venit, gloria major erit.

Id. Epigr. CLXV.

Te, Lojola, suo Tyberis dum clauderet alveo;
Alterius sensit Xavier Orbis opem.
Viventem nam multus adhuc te in vota vocabat:
Cui dexter facili Numine semper ades.
Fert cunctis Saberus opem; Lojola, sed ipsi
Qui fert Sabero, discite, quantus erat.

Pietas perennibus lachrymis, penè ad cæcitatem irrigata: in quam nè incurreret, perfectissimum lachrymarum arbitrium habuit.

Epigram. CXXVIII.

QVid tantùm indulges lachrymis Lojola? gemētes
Flebilis en oculos, heu, terit unda satis.
Ah caveas, longis nè fletibus obruta, noctem
Extinctâ longam lumina luce ferant.
Hoc an habes oculis lethum sat nobile? Nempè,
Non moritur letho nobiliore dies.

Id. Epigram. CXXIX.

Anne Deus Lojolæ oculos neglexerit? Anne
Extingui lachrymis vel feret indè suis?
Extinctis subitò quæ sic incumbet humi nox?
Hoc melior cæco mergitur ore dies.
Ergò ubi nec lachrymis licet indulgere; nec illo,
Gaudia quo florent fonte, carere juvat;
Olli, mira viden? lachrymarum traditæ habenæ:
Illius imperio, quæ stetit, unda fluit.
Non siccis aretque oculis prior illa voluptas:
Quæ cor, vel desit lachryma, sicca rigat.
Carmeli jam Vate prior Loyleius Heros:
Plus dare, quàm pluviis jura fuit lachrymis.
Vis dispar vel jure pari: hæc imi aëris unda:
Altiùs, è Cœlo scilicet, illa fluit.

Perfectissimum in omnes animi motus imperium habet, vel citra prima eorundem tentamenta.

Epigram. CXXX.

IMperio, Lojola, tui sat clarus, habenam
Pertractas animi, qua libet usque manu.

In-

Ingenio quondam ille ferox, ſequiturque jubentis
Fræna volens, Mentis promptus ad arbitrium.
Immemor ipſe ſui; vel ſe dediſcit; & una,
Quæ Mens, quæ Recti eſt conſcia, jura ſapit.
Brutaque pars, Animæ dum ſceptra regentis adorat;
Excuſſum rediit rursùs ad obſequium.
Sic cunctis quod prima Patris culpa abſtulit; unus
Imperium ſibi jam reddidit ipſe ſui.

Id. Epigram. CXXXI.

Marte ſuo felix, animum Lojola coërcens,
Fræna pati juſſit Mentis, & obſequium.
Non illum, lutei quæ nos mala corporis urget,
Mens agitat, ſtimulis; queis ſolet, acta ſuis.
Hinc facies, Cœlo qualis poſt nubila: Pectus
Qualè maris, nullas aura ubi criſpat aquas.
Pectoris alta quies, animi pax alta, tumultus
Neſcia Mens, placidum pandit ab ore jubar
Hæc vos ſceptra juvent, Reges. Ah, diſcite, fruſtrà eſt
Rex aliis, qui non imperat ipſe ſibi.

Amor in conſanguineos adeo nullus, ut eorum Epiſtolas, ita, ut redditæ fuerant, in ignem iniecerit comburendas.

Epigram. CXXXII.

PLurima faſciculo Lojolæ redditur uno
Littera, Cognatæ nuncia fida Domus.
At non ille oculis tulit has libaſſe; ſed unà
Dicitur ardenti ſuppoſuiſſe foco.
Quàm benè! Quas tulerat, multas ea pagina curas
Unà omnes uno ſuſtulit ille rogo.

Re-

Rerum humanarum Despectus ad Cœli aspectum admirabilis: cujus illa vox: Quàm sordet Tellus, dum Cœlum aspicio!

Epigram. CXXXIII.

NOcte mades lachrymis: redeunt spectacula manè
Nulla tibi, noctu quòd vigil Astra vides.
Namque oculis hæc præque fimo sordescit inani,
Assuetis superas cernere, Terra, plagas.
Indè reor tantis corruptos fletibus: illam
Nè videas, oculis vel carvisse juvat.

Id. Epigr. CXXXIV.

Astra lacessenti jaculis, jaculo erutus olim,
*Par, oculus, culpæ, credite, pœna fuit.
At cur Lojolæ tantùm spectasse, tulerunt
Haud impunè, oculis non satis æqua suis?
Namque impar radiis fertur persæpè ferendis,
Plùs nimio ad superas incaluisse faces.
Quin etiam multo lachrymarum ex imbre fatiscens,
Lux, heu, pænè oculis occidit à lachrymis.
Hæc Pietas, non Ira fuit. Cui sorduit Orbis;
Sic minùs ille dolet, si videt ille minùs.

Zelus divinæ Gloriæ, & animarum tantus; ut iis vacaturus, Cælo, salutisque suæ certitudine sese abdicarit.

Epigr. CXXXV.

PRæ Cœlo mihi sordet humus, Loyleius Heros
Clamat; nocturni dum videt Astra Poli.
At nè sic tumeat tanto de Judice Cœlum;
Pulchresces oculis tu quoque, Terra, suis.
Una hominis quærenda salus sit; protinùs Idem
Clamabit: Cælum præ mihi sordet humo.

Id.

---

* *De Philippo Macedonum Rege hoc referunt:*

Id. Epigr. CXXXVI.

Quòd tibi sordet humus, quòd Cœlum, Ignatius; indè
Major humo, Cœlo vel mihi major eris.
Quantus eras, pede tot Domino calcare paratus;
Si qua Deo laus hinc, vel levis illa, foret!
Sat, Lojola, sapis. Qui sic amittere curat;
Sic magis amissas hic sibi servat opes.

Id. Epigr. CXXXVII.

Nulla tui cura est, Ignati. Haud ipsa beato
Sors, visi veniens Numinis ore, capit?
Certus es, incertæ sortemque subire salutis:
Illa vocent vel te præmia, nolle mori;
Incrementa salus animorum siqua, Tonantis
Siqua ferat, damnis Gloria parta tuis.
Te nec amas, nec Numen amas sic: ora tueri
Ardet Dilecti dulcia, quisquis amat.
Fallimur. Est hic Amorque sui, est & Numinis idem:
Verè amat is, gratis, credite, quisquis amat.

In Deum Amor eminentissimus; adeo ut vel flosculi aspectu totus in Deum raperetur.

Epigr. CXXXVIII.

SIccine, Dive, solo tete abripis? Omnis in Æthram,
Inque Deum, te flos vel rapit unus, abis.
Indè legis proh quæ tibi gaudia! Flore propinant
Mel sibi; tu Diuûm sed tibi nectar, Apes.
Non loqueris flores: flores tibi, Dive, loquuntur:
Quo latet, elingui flore Deus loquitur.

Vno divinarum rerum Cantu Æger convalescebat.

Epigram. CXXXIX.

DUm te longus habet languor, Lojola; canentûm
Ore ubi laus sonuit Numinis, indè vales.

Mira fides! Nullas adhibentque Machaonis artes,
Pocula Pæoniâ pota nec ulla manu.
Authorem medicæ quis te neget artis, Apollo:
Uno jam constat Carmine parta salus.

Id. Epigr. CXL.

Dive, trahis longo languens suspiria morbo,
Est nec, Apollineâ qui levet arte malum.
Una Dei, numeris ubi laus tibi vincta canoris,
Insonat; ægro de corpore languor abit.
Nempè, animum sua sic implent bona gaudia; ut ægri
Pars quoque vel sua sit corporis, ipsa salus.
Dius Amor, nova quæ patras miracula! De te,
Quo languent Animæ, languida membra valent.

Id. Epigram. CXLI.

Non has ipse artes, non munera novit Apollo:
Non medica herbarum vis ea lecta solo est.
En medicum bibit aure melos Lojola: jacenti
Mox est & cantu reddita spontè salus.
Floribus ipse oculis Deus hæc depinxit: ad aures
Pharmaca, nunc numeris facta canora, sonant.
Pulchrior ut redeat medicis è floribus; ægro
A numeris rediit dulcior ista salus.

Id. Epigr. CXLII.

Dum Lojolææ Mors fila abrumpere vitæ
Cogitat, hæc cantu peste soluta suâ est.
Audiit illa: modis lenitaque dulcibus, ictum
Distulit, ingenii non memor ipsa sui.
Garrule, quid mortè infamas? Caret auribus an Mors?
Surdane, cui sic jam Musica dulcè sapit?

Dei,

Dei, & Christi videndi desiderium ardentissimum; sic ut ad mortis spem, vel cogitationem exultaret, & in extasim raperetur præ gaudio.

Epigram. CXLIII.

FUneris ò quis Amor! cunctis Pavor, ilicet,uni
Votum est,Ignati,jam tibi,posse mori?
Quin dulci caperis vel mortis imagine, quæ te
Abripit : hinc vitæ sensus & omnis abest.
Hoc aliis Mors ipsa facit,vitâ exule.Nonne,
Ignati, hoc est,quod non moriare, mori?

Id. Epigram. CXLIV.

Exuccis Mors fœda genis, cæco horrida vultu;
Est formosa oculis, Dive, sed illa tuis.
En moreris,quòd non moreris. Te sola sepulchri
Spes fovet,& vitæ Mors fit alumna tuæ.
Speratæ si dulcis alit te Mortis Imago;
Vivere jam speres: sic moriere satis.

Id.Epigram.CXLV.

Ultima, Dive, tuæ vix sese linea vitæ
Obiicit; atque hilari cor tibi fronte salit.
Namque is habet te Mortis amor;sic ardet,& urget;
Longa tibi ut sit Mors lucis & una dies.
Ah nimis impatiens vitæ es! miserata dolentem,
Hinc Te Mors, tantùm vel meditata, rapit.
Scilicet,hæc gula lethi est.Vitæ te abripis usu:
Discere, quid Mortem Mors sapit ante, cupis.

Mira in oculis Pudicitiæ vis, quâ vel uno intuitu cogitationes impudicas fugabat.

Epigram.CXLVI.

SI quis Acidaliis arderet ab ignibus;ignes
Intuitu extinctum diceris isse tuo.

Quæ, Lojola, oculis præbes miracula! Vivit
Queis Venus; his Venerem cogis at ipse mori.

Id. Epigr. CXLVII.

Ut vidi, ut periit, qui me malus abstulit, ardor:
Lojolæ ex oculis hæc mea vita venit.
Nata oculis, perit ex oculis Venus. An quia Gnatam
Turpem adeò pudeat se genuisse, necant?

Epigr. CXLVIII.

Sæpè Amor aufugit fracto Cythereius arcu;
Ignati, aspectus nec tulit ille tuos.
Heu pudor! En frágiles, quibus, heu, succũbimus armis!
Unus quæ potuit frangere & intuitus.

Id. Epigram. CXLIX.

Hic oculo nec amicus Amor, nec amicus Amori est
Huic oculus: sic is sat benè cæcus obit.
Hinc meritò cæcâ depictus fronte: Periret
Namque oculis, si se cerneret, ipse suis.

Id. Epigram. CL.

Qui te, Dive, videt, Venerem occidisse videndo;
Quæ Venus, & quis Amor Cyprius, ipse videt.
Fœda suâ est cum Prole Parens: cavet indè videri,
Si Venerem cupias perdere; visa perit.

Id. Epigram. CLI.

Quid Sancto pugnas oculis, Lojola, Pudori?
Vis, pugnax oculis ut cadat icta Venus?
Nempè, his pugnaras Veneri: Cui victima quondam
Cæsus erat; cædi hanc his Pudor ipse velit.
Sic oculis reparas, oculis quæ damna ferebas:
Et potuit Pudor hinc vivere, & indè mori.
O age, perque oculos aliis infunde. Memento
Te hausisse ex oculis, Dive,* Pudicitiam.

Id.

* *Donum castitatis adeptus, visa tantùm Deipara.*

Id. Epigram. CLII.

Primi in amore Duces, & primæ ab Amore sagittæ,
Vos oculi: quin hinc has trahit omnis Amor.
Lumina si tollas, certo is nec vulnerat ictu:
Nec quo jam figat vulnera, inermis habet.
Hæc olim. Ferit ex oculis Agnæa: pudico
Illa sui ex oculis pectora amore cremat.
Jam furere; atq; arcum jam, perge, age, frange Cupido:
Tela nec his oculis jam tibi, nec Pharetra est.

Id. Epigr. CLIII.

Sancte Pudor, quæ te arma tegant; cum Cyprius igni
Te Puer, & jaculis te petat ille suis?
Improbus ah nimiùm est: unis non dimicat armis:
Quemque ferit jaculis, hunc simùl igne cremat.
Quin etiam ferit igne, cremat jaculisque: fit ignis
Et jaculum; jaculum fit quod & ignis erat.
Lojolæ en pluvios oculorum fletibus orbes:
Frangere vis? Clypeos; mergere? habebis Aquas.

Id. Epigram. CLIV.

Naufragus ah quoties, Paphiis tum ulandus & undis
Mox fueram, Ignati, ni mihi Portus eras.
Quin etiam, medio malè dum jactabar ab æstu;
Sæpè oculis posuit sæva procella tuis.
Navifrago sic sæpè Salo, duo sidera, Fratres,
Visa salus miseris, spes quoque visa rati est.
Nempè, oculis tàm chara tuis, hoc Astra dederunt,
Ut sint jactatæ Stella Pudicitiæ.

Id. Epigram. CLV.

Dicebam: Ex oculis veniant cum Cypridis ortus;
Indè fluant lachrymæ, sic fluit undè Venus.
Ah nimiùm lachrymanda Venus! Sic lumina fletu
Ipsa suo, ut pariunt crimina, & ipsa fleant.
Lojolæa sui hinc Lumina fœta Pudoris,
Luce creant niveam casta Pudicitiam.

Ex oculis Pudor en oritur, Pudor interit: an ne, ut
Si pariant, vigilent: si perimant, lachryment?

Aliquot è multis D. Ignatii adhuc viventis Miracula. Unâ eius Epistolâ, coactis in unum sociis recitatâ, diu infestissimos, à Lauretano Collegio Dæmones fugat.

Id. Epigr. CLVI.

Quanta tuo vis est digito, Lojola! nec Orci
Tota valet digito par semel esse Manus.
Inferni vacuo Lemures bacchantur Averno:
Tota tenens trepidam Styx quatit atra domum.
Una fuit medicina malo vel Epistola: flammis
Pagina præque suis Dæmonas una cremat.
Scribendo nigros abigis de sedibus hostes:
Victrici calamus vel tibi fronde viret.
Teque Dei digito vicisse quis abnuat? unis
Litterulis rem nam conficis, & digitis.

Id. Epigram. CLVII.

Exilio, nostris infestas ædibus, Umbras
Una Loylide mulctat Epistolio.
Namque resignatâ subitò cessere papyro:
Orcus abit, parvi qui Laris hospes erat.
Edicto pugnat: viso nondum hoste, triumphat.
Expulerat baculo: en expulit & calamo.

Vis in arguentis voce tanta, ut vel tecta contremiscerent.

Epigr. CLVIII.

INdocilem vel fræna pati Lojola, vel ullã
Arte virum nactus flexilis ingenii;

Dum

Dum monet immemorem officii, tremere omnia, ab
Visa fuisse solo est tota revulsa domus. (imo
Heu scelus! heu pudor! Admoniti durabimur; ipsi
Mollescunt Divûm voce ubi vel lapides?
Disce, age: quid facias Lojolæ ad jussa; neganti
Vel tibi quid timeas: saxa sat ipsa docent.

Id. Epigr. CLIX.

Nam quæ, Dive, tuæ sunt hæc miracula vocis?
Vis est, fulmineo cum tonat igne, minor.
Tecta quatit, vel saxa teriti quin durior ipsâ
Vix præ caute, tuos corruit ante pedes;
Teque sequens molli docilis cervice Magistrum,
Alterius flecti discit ad arbitrium.
Scire velim, tua quæ pugnax Manus egerit antè?
Hæc quæ vox potuit, jam mihi nosse satis.

Refractarium ex Hebræa Gente Iuvenem brevi dicto ad Christum convertit.

Epigr. CLX.

VT Christo det spontè manum, nomenq; rogarant
Jessiden; nullæ sed valuere preces.
Perstabat saxo vel durior: at breve nullâ
Lojolæ dictum molliit arte virum.
Hic, ait, hic maneas Isac: dictoque protervum
Contudit, & dio proluit imbre caput.
* De petra fluxistis aquæ, sed verbere: Plus est:
En verbo ad sacras Petra cucurrit aquas.

* Exodi c. 17.

Æger, atque exili admodùm voce, in campo dicens, ad immensam Populi multitudinem, ad tercentum, & amplius passus optimè auditur.

Epigram. CLXI.

QUàm tenuis tibi vox: ægro vix corpore & ulla
Ignati: Loqueris, verbaque nulla sonant. (est,
Ast eadem procùl it: campoque patente perorat:
Vocula nec minimo deperit ulla sono;
Obstupuitque sequax, ubi tete ingens hominum vis
Audiit: attonitâ seque sat aure beat.
Amittunt aliæ vires: acquirit eundo
Isthæc, quæ labiis vox fluit una tuis.

Est simul Romæ, & Coloniæ, ad Leonardi Kesselii, eum videre cupientis solamen.

Epig. CLXII.

INclyta lunato quà se orbe Colonia curvat:
Ac tenet insignem sat pietate virum;
Lojolæque frui vultu vetat. Ille tueri,
At se dat, duplici congeminatque loco.
Unus es, an geminus? geminas simul incolis Urbes,
Dive, ubi se Rhenus, se Tybris urget aquis?
Unus es, & simul es geminus; tàm dissita spectem
Si loca: si quid agas; unus, & omnis homo es.

Id. Epigr. CLXIII.

Te flavis Tyberinus aquis, Ignatius, unà
Te procul, attonitâ Najade, Rhenus habet.
Nempè, ades, agnato quà culta Colonia rivo est:
Et quà septenis Urbs sedet alta jugis.
Imperii fuerat Latii meta ultima Rhenus:
Unus es, at toti par simul Imperio.

Quid-

Quidni Romano fieres par, scilicet, Orbi?
Orbe ipso major jam fueras animo.

Vel ad Indos Româ Xaverio vocanti præsto est contra Barbaros.

Epigr. CLXIV.

IRruerat, flammisque minax Badagus, & armis:
Obvia nec fuerant, qui satis arma ferant.
Unus erat, sed inerme Caput, Saberus: in Hostem
At ruit: in certam nec pavet ire necem.
Christiadûm sic urget Amor: quos ante sacrato
Fontis adhuc madidos tinxerat imbre latex.
Hoc tulerit Lojola? Alio vel ab Orbe vocanti
Advolat, auxilio quò juvet ille suo.
Addit se lateri Comitem: radiisque corusco
Barbaricas subitò disiicit ore manus.
Sat venisse, sat & vidisse: hostemque videndo
Perculit. Hæc oculis laurea quanta fuit!
Magna licet fuerit laus, quòd sic vicit: ad Indos
At quòd sic venit, gloria major erit.

Id. Epigr. CLXV.

Te, Lojola, suo Tyberis dum clauderet alveo;
Alterius sensit Xavier Orbis opem.
Viventem nam multus adhuc te in vota vocabat:
Cui dexter facili Numine semper ades.
Fert cunctis Saberus opem; Lojola, sed ipsi
Qui fert Sabero, discite, quantus erat.

Indè ea in Ignatium Xaverii Reverentia, & Benevolentia, ut nonnisi flexo genu, lachrymisque madidus, ad eum ab Indiis scriberet.

Epigr.CLXVI.

NI flexo ad te, Dive, genu, quam scripserit; ulla
Xaverii extremo littera ab Orbe venit.
Sæpè etiam est madidis testata litura Tabellis;
Scribenti saperet quàm vel Imago tui.
Quin foliis expressa, levis vel Nominis umbra,
Ex oculis dulces eliciebat aquas.
Non is amat, sic siquis amat; sed & ardet: adorat,
Cui flexo sic est scripta Tabella genu.

D. Ignatii Chirographa planè admirabilia.

Epigr.CLXVII.

DIve, operosa satis tua sunt Chirographa; morbos
Sæpiùs adscripti Nominis umbra fugat.
Ah quoties, vacuo jam debita membra sepulchro;
Raptaque vicino, Mors dolet ægra, rogo.
Talia scribendo præbes miracula. Posthac
Lojolæ medicas quis neget esse manus?

Id. Epigr. CLXVIII.

Quis novus hic Pæon, novus hic quis & arte Machaõ;
Uno cui pulsus Nomine languor abit?
Hæc omnis medicina mali est: scriptoque medendi
Addita vis: digitum Mors cavet, & calamum.
Si plura, Ignati, dabis hæc Chirographa; nuda
Decoxit censu jam Libitina suo.

Id. Epigr. CLXIX.

Quà jaculo, quà falce furit Mors; nulla ut ab ictu
Vita eat immunis, vel procùl illa, suo.

Esto

Esto, falce cadat, falci jam sicca; quid Ætas,
Heu, viridis jaculo sæpè petita suo est?
Dive, velis; tantæ frænabitur impetus iræ:
Victaque mox lethi vis inimica cadet.
Da calamo gladium, parvâ clypeumque papyro:
Parta erit in paucis laurea litterulis.

Miraculo se diu, ex Medicorum sensu, vivum servat.

Epigr. CLXX.

PEönis excctum cuspis scrutata Cadaver
Lojolæ, execto in viscere mira videt.
Pinguia nam nullo arebant vitalia succo,
Duratum & saxi more, modoque Jecur.
Nam nimiùm producta viro jejunia, nostræ
Siccarant vitæ qui rigat extra latex.
Obstupuere. Aliis alij post fata supersunt;
Hic sibi, vel sua post fata, superstes erat:
Exuccam docuit lapidoso in viscere vitam
Vivere, sat magnâ parte sui exanimem.
Reddidit exanimum vitæ, dum viveret: at plus,
Se morti exanimum surripuisse, fuit.

Adhuc humi degens, mirum, quantis Cœli deliciis fruebatur ex frequenti Cœlestis Gloriæ visione! in qua suos aliquoties quoque vidit, precipuâ luce clarissimos.

Epigr. CLXXI.

AH quoties, patulo supra caput Æthere, sese
Dive, oculis Superûm panditur Aula tuis!
Immemor ipse sui vel nominis, abdita celat
Cuncta aliis; uni sed tibi cuncta patent.

Lucida ibi Divûm licet Agmina; teque tueri
Auctos luce tuos, quos tenet Æthra, juvat:
Æqua tuis, Lojola, oculis hæc præmia: namque
Cœlum cui pateat, quàm cui sordet humus?

Id.Epigr.CLXXII.

Ire negat, Cœloque animum Lojola vocanti
Inferre, ut plures Cœlum adeant animæ.
O Amor, humani novus hospes pectoris! uni
Quique Deo caleat, nec sibi vivat, Amor!
Digna operi merces: Cœlumque subire moranti,
Hinc patet: hinc dare sic se cupit ante diem.

Id.Epigr.CLXXIII.

Dive, tibi Cœlum se aperit; Mors ante caducis
Atra oculos quàm vel clauderet ipsa tuos.
Maturasse putas tua sic tibi gaudia? fructu
Sic sua præpropero præripuisse, reor.
Quantus es, Ignati, tanto vel Judice? Cœlum,
Non ut tu videas; panditur, ut videat.

Ea cum Christo familiaris consuetudo, ut vel se ad ignem Calefacienti Ignatio, admodùm amoris plenam sui præsentiam exhibuerit.

Epigr. CLXXIV.

ALget Hyems, algetque Ætas: Ignatius uno
Non satis, heu, geminum temperat igne gelu.
Cum olli, quo Jesus totum rapit Æthera vultu:
Læta cui arrident sidera, visus adest.
Visus adest: oculosque simul vultu implet; & aures,
Quæ sapiat vox præ nectare, amica beat.
Asserit huic Tellus, gravis asserit ampliùs Ætas;
Igne hoc haud poterat non caluisse satis.

De

De eadem frequenti Christi cum Ignatio, atque amicabili consuetudine.
Epigr. CLXXV.

SEu Manresanum rete, Dive, abdis in antrum:
Seu colis Urbanos, Gens ubi spissa, lares:
Quà te Pontus habet, quà Tellus: sive calescis
Ipse domi: medias isque, redisque vias;
Sæpè oculis venit ipse tuis spectandus Iësus:
Sæpè comes lateri blandus it ille tuo.
Nulla meo ab Jesu res me, inquis, dividit: Addo,
A te nec Jesum dividit ulla tuum.

Frequentissimè etiam Deipara se spectandam eidem dare consueverat.
Epigr. CLXXVI.

SÆpè oculis spectata meis; quo Sidera vultu,
Diva, beas oculos sic quoque sæpè meos.
Annè parùm vidisse semel? Tua vel semel ora
Ut videam, gemino è lumine cœcus eam.
Dum Cœlum aspicerem, Tellus mihi sorduit: ut te
Vel semel aspexi, sorduit ipse Polus.

Angelorum Concentibus sæpè recreabatur.
Epigr. CLXXVII.

DIve, procul quàm sæpè suis volat exul ab Astris,
Spontè tuos Supersim quæ subit Aula, lares!
Nec subiisse satis. Quidquid, seu voce canorum,
Seu sonat arguto pollice, dulcè ciet.
Sæpè tuas mulcere novis concentibus aures:
Sæpè suos visa est congeminare modos.

Ah

Ah quoties Superi rupere silentia cantus?
 Mutaque vocales Astra dedere Choros?
Quæ tua tunc menti bona gaudia? Quæ lachrymæ? & (quæ
 Blanda soporatæ dulcè quies animæ?
Cumque solo trahis usque moras; succedit, auaræ
 Ipse moræ haud patiens, in tua tecta, Polus.

D. Ignatii Obitus planè Sanctus, ac felix. Et primò quidem clâm mori studet, ab omnibus desertus, & ignotus.

Epigr. CLXXVIII.

QUid causæ, Ignati, cum te suprema vocaret
 Lux; furtìm nostro te rapuisse solo?
Utque lates? Animæ suspiria singultantis
 Nec legere, aut lethi tergere fas lachrymam?
Nempè, caves, cupidusque mori, nè vota tuorum,
 Nè lachrymæ ad Superos fortè morentur iter?
Ergo age, & emoriens, perge, abdere: nam genus uni
 Funeris hoc Soli est: dumque latet, moritur.

At cur non datur Ignatio mori, ut Christo per vim, nempè, & in Cruce.

Epigr. CLXXIX.

IN stabulo vagit Lojola, fovetur aristâ:
 Et famulo cunas dat DEUS ipse suas.
At cur non trunco pendet defixus eodem?
 Nec famulus Cruce, quâ vel Deus ante, perit?
Nempè, duplex culpæ nè quod sit, crederet Orbis,
 Victima: Vel quòd non hæc satis una foret;
Nascenti par indè Thorus, sors funeris impar:
 Hinc oritur similis: dissimilis moritur.

In

In Pervigilio D.Petri ad vincula obit.

Epigr.CLXXX.

DIve, catenato patuit quâ Janua Petro;
Ad Cœlum tibi lux prævia, pandit iter.
Carcere ut educat Petrum præit Aliger: At te
Dum Petrus educit corpore,cur ſequitur?
Diſce hinc, quàm te Petrus amet: ſibi ferrea ſolvi
Vincla, prius tibi quàm carnea, ferre negat.

Id.Epigr.CLXXXI.

Prævia quæ funus Petro lux attulit; ipſa
Lojolæ, funus jam propè, vita fuit.
Prævia Lojolæ funus quæque attulit; ipſa ,
Diſſolvens Petro vincula, vita fuit.
Altera fert mortem, vitam fert altera . Quorſum hæc?
Nempè, habet hæc vitæ, mortis & illa nihil.

Id.Epigr.CLXXXII.

Ante diem tua mox Atropos ſeu rumpere ferro
Fila parat; fracto dum pede, Dive, jaces :
Seu te maturâ facili Mors ungue ſenectâ,
Sera legit; Petrus cur tibi ſemper adeſt?
Tunc Juveni ſævas jubet addere penſa Sorores :
Fata ſenem molli carpere nunc digito.
Nempè,tui ſua quātùm hæc Plebs foret indiga,norat:
Curæ olli tua lux longior indè fuit.
Quanta foret merces operi vel debita tanto ;
Curæ olli tua Mors dulcior indè fuit.

Id.Epigr.CLXXXIII.

Carcere dum vinctus morituri claudiţur Ævi
Loylide: tua adhuc te, Petre, vincla ligant.
Libertas tandem vel ſera reviſit utrumque:
Ipſe ſuo liber carcere, & ille ſuo

Offi-

Officii certamen adest. Tu vincula solvis
Olli, Petre: Tibi solverat ille prior.

Coram Christo, ac Deiparâ suavissimè moritur.
Epigr.CLXXXIV.

NOs Lojolææ, haud Superos hæc ultima vitæ
Meta latet, tacito sic properata malo.
Ecce suo JESUS, delapsus ab Axe, Clienti
Adfuit, & Jesu Regia Virgo Comes:
Regia Virgo, thori, quæ nescia Diva jugalis;
Fœta, Deum terris detulit una Parens.
Fortunate, mori cui sic licet! Hoc mihi vultu
Si venias; quæso jam, Libitina, veni.

Id.Epigr.CLXXXV.

Te Jesu, coram te, ò Virgo, spontè lacessens
Lojola, it fatis obvius ipse suis.
Insultatque moræ haud patiens, lucisque jugales
Increpitans, lentam quàm dolet ire diem!
Et meritò: sic namque mori bis vivere, nempè, est.
A gemino venit hoc Vita vel ore duplex.

Divi Ignatii Monumentum Angelorum Concentibus, & multâ Stellarum luce conspicuum; ut de eo verè dici possit illud Isaiæ c.11. Erit Sepulchrum eius gloriosum.

Epigr. CLXXXVI.

QUæ nova Stellarum Genesis? quo clarâ Parente,
Obscuro soboles nascitur è tumulo?
In cineres lapsus jàcet hìc IGNATIUS. Ignis
Quantus! Adhuc tumulo num calet ille suo?
Audieram, niveo candet quà fascia Cœlo,
Olim opus igniti, nempè, fuisse Poli.

Hinc

Hinc Cinerem pars illa refert. Parit, ilicet, Ignis
Aſtra Polo: parit hic frigidus Aſtra cinis.

Id. Epigr. CXXXVII.

Occumbente petis, ſubitò cur ſidera lucent,
Lojolâ? Lucent, nempè, quod occubuit.

Id. Epigr. CXXXVIII.

Extinctum lachrymis, tua te dum Turba, Parentem
Efferimus; triſti dat Polus Aſtra rogo.
Exequiis quòd nulla tuis par pompa; Supremo
Addidit officio funeris Aſtra Polus.

Id. Epigr. CXXXIX.

O quis honos! obſcurâ mox cum Ignatius urnâ
Conditur, ætheriis ignibus Urna micat.
Auguror: Huic lychno radians erit Ara coruſco;
Appendens Tumulo cui Polus Aſtra, præit.
Quantus erat meritis, Cœlo vel Judice, diſce,
Roma: ardent cui jam Sidera, thura crema.

Id. Epigram. CXC.

Alluditur ad illud Io:20. Tenebræ erant ad Monumentum.

SEu moreris, ſeu te, Jeſu, tegit Urna ſepultum,
Te Mors, heu, tenebris te tegit Urna ſuis;
Uſque horret comes umbra novû tamen Aſtra ſepul-
Nunc Lojolæo nata, dedere diem. (chro,
Illæ, nempè, diem tenebræ peperere: ſepulti hinc
Aſtra erimus, qui nunc Pulvis, & Umbra ſumus.

Id. Epigr. CXCI.

Nulla tuos notat, in ſtabulo dum naſceris, ortus,
Ignati, radio prævia Stella ſuo.
Nempè, parem Domino fas Servum haud ire. An ho-
Ire parem ſtabulo, ſat tibi ſidus erat? (norum,

Quidquid id eſt;ut habes moriens cum fœnore! ſignat
Nam radio tumulum plurima Stella tuum.

Id. Epigr. CXCII.

Clarior es tumuli, Martis quàm pulvere: laurus
Namque hinc, Loylide, ſidera at indè legis.
Lucidus Aſtrorum tibi depluit Æthere nimbus:
Sunt tamen hæc meritis Aſtra minora tuis.
Ipſe animas Cœlo, Tibi dat Cœlum Aſtra; ſed uni
Haud animæ totus par etiam Axis erat.

Id. Epigr. CXCIII.

Heu moreris, Lojola: tuo naſcentia cur mox
A tumulo vultus Aſtra dedere ſuos?
Nempè, ubi Dux ſeræ te non videt Heſperus horæ,
Credidit extinctum jam cecidiſſe diem.

Id. Epigr. CXCIV.

Duxerat inſomnes ſemel haud Ignatius horas;
Proſpiciens ſuperæ pervigil Aſtra plagæ.
Aſtra quid inviſura Virum neget Æthra? ſepulto,
Officii memor eſt: reddidit illa vicem.

Id.Epigr. CXCV.

Dum vaga ſtellato proſpectas ſidera Cœlo,
Dive, ſimul vaga te ſidera viſa vident.
Viſus, & ipſe videns: ſimul uris, & ureris: igne
Aſtra tuo, Aſtrorum tu quoque ab igne cales.
Mutua ſed tanti commercia rupit Amoris;
Quæ te Mors foſsâ contumulavit humo.
Elato quid viſa velint te ſidera, quæris?
Nempè, ſequax oculis te Polus ipſe petit.
Nec vidiſſe ſatis: propiùs viſurus, ad Urnam
Sidera, ſic oculos admovet ille ſuos.

Id.Epigr. CXCVI.

Excubat,æternis Cœlum ignibus excubat; Orbem
Dulcè ſoporatum Nox ubi nigra tenet.

Nem-

Nempè, is amor noſtri, Superis ea cura; tueri
Quos oculis pernox tot velit Æthra ſuis.
Nunc Lojolæo vigilant quoque ſidera buſto;
Mors ubi,& egelidi pulveris umbra jacet.
Quantus, Dive, jaces! Mundo par unus es. Uni
Has Cælum Tibi,quas Mundo agit excubias.

Id.Epigram.CXCVII.

Jam Lojolæo collucent Aſtra pheretro:
Exanimemque, ſuo vivida ab igne, notant.
Quiſquis es, ah! Maneſque pius veneraris amicos:
Vere novo, quiſquis Chloride buſta tegis;
Hinc abeas, aliis flores ſparſure ſepulchris:
Floribus haud opus hìc; jam dedit Aſtra Polus.

Id. Epigr. CXCVIII.

Tene rear frigere, Cinis; vel frigida ſaxi
Extinctum gelido te tegat Urna ſinu?
Ardet adhuc, tumuloque jacens Ignatius, igni
Ipſe ſuo: quo Mors vel calet ipſa ſatis.
Indè faces, radiiſque vigens, quæ buſta coronat,
Advena lux: flammas promicat indè Cinis.
Quæ par huic Cineri laus eſt?Cinis igne creatur,
Quo calet: en Cinis hic, queis nitet, Aſtra creat.

Triduanus Angelorum Concentus in D.Ignatii Sepulchro.

Epigr.CXCIX.

AUditis? Noſtri novus advena labitur Orbis,
Concentus, vacuo quem capit Urna ſinu.
Hìc Lojola jacet, mutus Cinis. An ſua muto
Vox Cineri eſt,dulces fundere docta modos?
Scilicet,Hæc Superûm Lojolæ ad buſta canentûm,
Indulgenſque ſuis Turba canora choris.

Namque, videt Stellis distinctum ardentibus. Inde est:
Illius in tumulum credidit isse Polum.

Id. Epigr. CC.

Ignati, Cœlo raperis; sed plurima Cœlo
Aligerûm viduo Gens quoque lapsa solo est.
Quin etiam pluviis, tumulo dum conderis, Astris
Visa solo celsi est lucida pompa Poli.
Quantus eras, Cœlo vel judice, discimus. Unum
Sustulit; & Superos, tot quoque & Astra dedit.

Id. Epigr. CCI.

Quid Lojolæam Superûm concentus ad Urnam?
Heu, canitur surdo, dum canitur Cineri.
Falleris. Ipsa docet votivis Urna Tabellis,
Si canat is surdo, qui canit huic Cineri.

Id. Epigr. CCII.

Haud canitur Cineri: nostris Chorus aliger imo
Auribus è tumulo, qui canit, ille canit.
Jacturæ nam qui posset lenire dolorem,
Non erat hìc: cantus mittitur è Superis.

Id. Epigr. CCIII.

Parva, nec illa suis resonat concentibus, Urna;
Quæ, Loylæo pulvere fœta, tumet.
Cœlicolûm nam missa Polo, tumuli hospita Pubes
Exercet, digitis nablia pulsa suis.
Æqua cadat cunctis hic sors dum nascimur: æqua,
Dum morimur, cunctis, credite, nulla cadit.
Implemus lachrymis cunas: at sola sepulchro
Musica habet Pietas gaudia, clausa suo.

Id. Epigr. CCIV.

Aligerûm Chorus, & radio crinita corusco,
Stella recens nati Numinis antra notant.
O quis es, Ignati? Puero decora ipsa Tonanti
Quæ tulerant Cunæ: jam tibi & Urna tulit.

Plu-

Plures Cælicolæ Cunis cecinere; sed Urnæ
Sidereæ plures incubuere faces.

Id. Epigr. CCV.

Nam quis te Cœtus inter numerare silentûm,
Dive, velit? Tibi jam muta nec Urna silet.
Non siluisse parum est. Numeros edocta canoros,
Plusquàm Amphioniis personat illa modis.
Traxerit Amphion lapides testudine; plus est,
Quòd Cœlo cytharas tot Lapis iste trahit.

E Cœlo se videndum aliquando dedit, corde Augustissimum IESV Nomen aureis characteribus inscriptum gestans.

Epig. CCVI.

EST quibus in Cœlis inscriptum Nomen Jĕsu
Auriflua calami cuspide, Pectus hiat.
De Te hoc visa docent, Ignati: contigit uni,
Cui sors, ut tanto è Nomine cor rutilet,
Hoc si Lojolæ rutilat cor Nomine; Iesu,
Tu Lojolæi cor propè cordis eras.

Id. Epigram. CCVII.

Ignati, Jesu Tibi cor de Nomine fulget;
Ad nos cum celso lapsus ab Axe, venis.
Nempè, duos Amor in Cœlo sic junxit Amantes:
Hospitio huic nullus dulcior Hospes erat.
Qui quærente diu, quo Jesum corde locaret;
Jesum, credibile est, hoc voluisse loco.

Ignatii, Iesu Nomen dexterâ gestantis, Icon.

Epigr. CCVIII.

COrde quid inscriptū quod habet LoyleïusHeros,
Hoc Jesu gestat Nomen & ille manu?

Possessa num cor Jesu simul atque bearat;
Viso oculos etiam, scilicet, ille beat?
An sua Dilecto geminat loca? Discite, amanti
Non satis est uno cordis habere loco.
Fitque sequax quoque cordis nam manus. Ilicet, olli
Nil cor amat, cui mox nil det, agatque manus.

Epigr. CCIX.

Corde, manuque simul fert Jesum Ignatius. At cur?
Alterutro Jesum Nemo carente feret.

Authoris oblatio.

Epigr. CCX.

OBsequio cape, Dive, tuo quæ lusimus: ista hæc
Vix Aganippæo guttula fonte fluit.
Tempus erit, tibi cum Clio canet omnibus undis:
Musicus ac toto defluet amne latex.
Viribus hæc satis, haud votis. Non Castalis unda,
Sed tibi deflueret vel meus ipse cruor.
Utque suo malè displiceat cum carmine Vates;
Argumentum es qui carminis, Ipse places.

FINIS LIBRI PRIMI.

EPI-

EPIGRAMMATON
LIBER SECVNDVS

Argumentum:

B. STANILAVS KOSTKA.
POLONIÆ TVTELARIS.

TV quoque victrici donandus es Laureâ, STANISLAE, tres inter Davidis nostri Fortes, vel animi constantiâ, vel victoriæ laude nulli Secundus. Multiplex tibi fuit, & multiplici cum hoste certamen; ut, scilicet, pluriès, deque pluribus triumphares. Tantæ debebatur virtuti non una adorea, nec simplex palma. Primum Puero formosissimo fuit cum hoste turpissimo: hoc est, cum eo hominum genere: cui si minùs Vita, Lingua certè parùm pudica, Venerem passim sonat, ac sapit: seque dum salibus spurcissimis, aliosque inquinat, planè desipit. Sed hi adeò te percellebant, ut omni vitæ sensu ab animi an-

gore deperdito, in terram corrueres. Scilicet, quos corpore non poteras, animo fugiebas, quandam aurium pudicitiam vitæ veluti dispendio redempturus. Jam indè id genus pugnæ, vel Puer, satis callebas; cujus in fuga forent, vel arma, quibus vinceres, vel lauream, quâ triumphares. Alterum certamen longè tibi molestius, & quia longius, & quia cum Fratre, tuis virtutum exercitationibus non modo infenso, sed etiam infesto. Adeò, vel in tanta sanguinis conjunctione, tanta sæpè fit morum disjunctio! Quid tum Stanislae? Nactus hostem in fratre, in hoste non vitæ periculum, sed Innocentiæ; natu majori Germano restitisti Puer, contemptâ vel imperantis authoritate, vel irâ furentis: liberâ fronte contumelias, sputis ipsis fædiores, immotoque corpore excepisti, per singulos ferè dies iteratas ab irato diu plagas, ipsis servorum fæcibus non tolerandas. Sæpè calcibus, sæpè fuste petitus, atque indignissimè conculcatus, tulisti omnia; nè latum quidem unguem ab arreptâ Recti semitâ divertens, vel fratris amore, vel irascentis timore: inque aleam vitæ adduceris, nè aleam virtutis incurreres. O Adolescentis vel Heröe dignam constantiam! Quî cætera persequar, tam paucis tam multâ? Morum scilicet Innocentiam, nullâ unquam lethali labe maculatam: Pudicitiam adeò sui fœcundam, ut uno oculorum intuitu, quos non repererat, pudicos faceret: mirum exæstuantis in Deiparam cordis amorem usque ad mortis desideriũ, divinæ Charitatis æstum incredibilem usque ad animæ languentis deliquium, excelsissimam denique, numerisque virtutum omnibus absolutissimam sanctimoniam in adolescentulo, qualem suspiceremus in sene. Virtute Ætatem vicisti: prævertisti annorum numerum cumulo meritorum. Ipsum Pueritiæ ver, uberrimos pietatis attulit fructus; ut mihi de te scribenti,

benti,

benti, non Adoleſcentuli, qui nonum ſupradecimum vitæ annum, ſed effœti, ſed capularis viri, qui ſupra ſæculum vixerit, facta, decora, virtutes ſcribere planè videar: Tanto, tam brevi tempore, Sanctimoniæ faſtigio conſcenſo, ut indè maximè ſupra ætatem, ſupra ſpem, immò admirationem evectus, meritò à primo Sacrorum Hierarca, Clemente hujus nominis Decimo dictus fueris; *Piccol Giovane, e gran Santo*, Ætate parvus, magnus Sanctitate. Age igitur, & quam tibi Apollinari lauru teximus lauream, Tui, Ætatis, Spei, ejuſdemque admirationis, quà præcoce animi robore, quà celeritate virtutum Victori, benignus accipe, & fave.

Quæ de B. STANISLAO ſcribimus, omnia habes, Lector, in hiſtoria ejus vitæ: quam ex actis ad Beati canonizationem excerptam, typis Romæ dedit R. P. Daniel Bartoli ann. ſal. 1670.

IESV.

IESV Nomen in utero Matris, Stanislaum gestantis, mirabiliter impressum apparuit.

Epigram. I.

Kostkiolum complexa, sinu dum clauderet, ipso
Vel gravis illa suo pondere Læta Parens;
Inscriptam augusto se Jesu nomine, circum
In radios cui Lux undique secta, videt.
Hæsit ad hæc: Genitrixque novo pavet inscia mõstro;
Quid Gnato, fore quid vel sibi, signa ferant.
Ab Jesu quid nam paveat? feliciùs ulla,
Siqua Parens sic nam concipit, illa parit.

Id. Epig. II.

Stanislae, tuos quò Jesus indicet ortus,
Ipse, sui rutilans Nominis Orbe, præit.
Teque utero prodit, quo conderis. Indè Polono,
Te nascente, recens lux quoque nata Polo est.
Mutavere vices: Solem prior indicat Eos:
Sol hìc venturum Sidus at ipse præit.

Id. Epig. III.

Jesiaden ævo Puerum florente futurum,
Visa notant Jesu Symbola; an ipsa creant?
Et Lojolæos primo cum sanguine amores
Infudit, nondum vel semel hausta dies.
Quæ cupiunt, fœtæ signant his Pignora Matres:
Et referunt Pueri, non sua vota, senes.
Quàm diversa vides! Puer hic haud vota Parentis;
Ipsa refert Pueri præcoqua vota Parens.

Id. Epigram. IV.

Jesiadûm pia signa sequi quem destinat Æther;
Materno en Jesum hic exprimit in gremio.
Matris adhùc utero clausus, Puer ipse futuri
Præscius, & Vates fit Puer ipse sui.

Cui

Cui vidisse procul fas hæc ventura; vel ipse
E cœco vidit matris & ille sinu.

Id. Epigram. V.

Se JESUS molli sculpsit Genitricis in alvo;
Vix ubi Kostkiolum, quo tumet, alvus habet.
Hæc Lojolæis Cœlo data Symbola signis:
Vivimus, hoc pugnax sub Duce, lecta Cohors;
Jesiadasque mori, hæc nostri meta ultima voti est:
Jesiaden nasci sors quoque, Dive, tua est.

Quatuor inter Liberos postremus in lucem editur.

Epigram. VI.

STANISLAE, uteri pars, & laus ultima nostri:
Pignora nam socio post data nulla Thoro.
Cur fœtura stetit? Tantæ cur mascula Gentis
In spem post soboles nulla creata Patri est?
Nosco equidem: vires Te, nempè, exhausit in uno:
Vel desperarat post dare posse parem.

Adolescens, si quid fortè minùs pudicè dictum audiret, animo defectus, corruebat in terram.

Epigram. VII.

STANISLAE, parem Agnææ cui Sidera florem,
Sarmaticas inter vix aluere nives;
Quid tuleras; obscæna tuas simul attigit aures
Vocula? Proh quantum Vocula fulmen erat!
Linqueris, ac toto collapsus corpore; vitæ
Nec species, vitæ sensus & ullus adest.
Quantum fœda malum est Cypri Dea! scilicet illam
Ut fugias, animâ vel fugiente, fugis.

Id. Epigram. VIII.

Quisquis Acidalio verba expuis illita succo;
Fœta venenatis, ah, cave verba sonis.

Nam

Nam licet invitâ bibit hæc ubi Kostkius aure;
  Dicitur, exanimo par, cecidisse solo.
Nempè, Paphi non una Deæ via, visque nocendi est:
  Perque oculos, aures noxia perque ruit.
Obstrue, cumque oculis simul obstrue, qui sapis, aures:
  En audita nocet, non modò visa, Venus.

Id. Epigram. IX.

A jaculis haud, Dive, jaces: verbisque Cupido,
  Ut caderes, animâ deficiente, petit.
Nempè, ea sunt jaculis pejora Cupidinis Arma:
  Lethiferumque volans vocula vulnus habet.
Quidquid idest; ullo non hic tumet ille triumpho.
  Qui sic, Dive, cadit; non is ab hoste cadit.

Id. Epigr. X.

Dive, mori hoc est, non Cyprim fugere. An tibi Mens
  Tutiùs ut fugias, vel citò velle mori? (est)
Statque Pudicitiæ vitam pro laude pacisci.
  Quàm sapis! Hoc verè est vivere, malle mori.

Id. Epigram. XI.

Quæreret ut vires, animosque Anthæus in hostem;
  Mos erat huic medio procubuisse solo.
Corruis & victo par, STANISLAE, cadentique,
  Ut vireat victrix laurea fronde, jaces.
Arte novâ Victor, nullo vel Marte triumphas:
  Victa Venus, Casus plùs timet illa tuos.

Id. Epigr. XII.

Alluditur ad illud. Ascendit Mors per fenestras. Ier. 9.
Obscæno cum te peteret malè Cypria verbo;
  Cur tibi vitæ omni munere sensus abit?
Hàc animis Mortem noras irrepere. Morti,
  Quàm benè, nè pateas, obstruis ipse vias!

Rhe-

Rhetor unam, suarum elucubrationum argumentum, habet Deiparam.

Epigram. XIII.

O Quis Amor! Te, Diva Parens, tuus ille, Suadæ,
Dum vacat, usq; canit Kostkius. O quis Amor?
Cordis & indè suos in Te sic ventilat ignes:
Prodit & arcanas missa loquela faces.
Facundi tunc oris opes, tunc gratia, & omnis
Dulcior ad numeros Pieris unda fluit.
Cætera desipiunt. Quæris cur cætera, virgo,
Desipiant? Olli quòd sapis una satis.

Formâ admodùm eleganti, Pudicitiam se aspicientibus inhalabat.

Epigram. XIV.

EST duplex tibi flos, pulchro qui vernat ab ore:
Et qui vel pulchro est pulchrior ore, Pudor.
In te conveniunt; & amico fœdere junctæ,
Jam lis cum formâ est nulla Pudicitiæ.
Nec satis hæc: aliis Cyprios quæque educat ignes;
Visa semel, pulsâ Cypride, forma necat.
Est aliis & idem præsens medicina venenum:
Indè Pudor quoque jam vivit, is undè perit.

Id. Epigr. XV.

Cui lux, dicebam, pulchræ cui gratia formæ est;
Abdere: lux oculis, gratia & ista nocet.
Cumq; oculis nam corda ferit, dum fulgurat: & mox
Noxia sub cœco vulnere flamma cremat.
Hæc aliis: at, Kostka, tuos fas prodere vultus:
Te viso, fiet casta vel ipsa Venus.

Id. Epigr. XVI.

Quæ tibi Majeſtas oris! Qui fulgor! Amorum
Ille Deam figens vulnere, fulmen erat.
Namque ſuis vivax fureret dum Cypria flammis;
Te videt, & vultu concidit icta tuo.
Sic jaculis confoſſa ſuis: queis ſæpè triumphat;
In ſua dum vertis vulnera, victa perit.
Semianimem obſcœno te jam dejecerat ore:
Vltus es ore ſatis vindice, dum perimis.

Paulum, fratrem natu maiorem, ad Pietatis officia adverſarium nactus, admirabili fert animi conſtantia.

Epigr. XVII.

NOn eadem Pietas, quibus idem ſanguis. An uno
Tàm diſpar Fratrum Par fuit è gremio?
Stanislae, Deum votis, Cœlumque fatigas,
Terrenâ nunquam captus ab illecebrâ.
Non ſic, Paule: Dei miſer, heu, Cœlique, Tuique
Immemor, heu, quantis capte cupidinibus!
Illum Dius Amor, rapit at te fœda Cupido.
Qui rapit, is te ſat, quò rapiare, docet.

Stanislai ad Paulum.

Epigr. XVIII.

PAule, meū cor, lux mea, quondā animæq; voluptas,
Ah, mihi per te cùr non licet eſſe pium?
Chara Deo Pietas, & caſti cura Pudoris
Anxia, & à maculâ, quæ ſibi vita cavet.
Hæc tibi ſunt odii in Fratrem mala ſemina? & indè
Fit furor, undè aliis creſcere ſuevit Amor?
Fuſte feris & calce: dies ſine vulnere Fratri
Nulla it: nec de te cum Patre, Paule, queror.

Quid

Quid querar? His crescit Virtus, seque ictibus urget
Acrior; ut lentam ventilat aura facem.
Ergo age, fas totis tibi vel sævire diebus.
Frater es; at mihi si mitior, hostis eris.

Id.Epigr.XIX.

Hostem in Fratre Puer, Fratrem vel nactus in hoste,
Astra, tuo calcor cum pede, Paule, premo.
Sublimis gradior pressus: sapiuntque Parentum
Oscula, fraterno præ mihi fuste, minùs.
Nil ego pro me; sat pro te sed multa dolemus.
Noxius, innocuo qui nocet, ipse sibi est.

Id. Epigr.XX.

Dicebam, Geminos inter sit gratia Fratres
Rara quidem: ast odium rarius esse decet.
Quid te, Frater, agens in me implacabile, amoris
Nullo odium nostri flectitur obsequio?
Sæpè manus, queis ora feris, ac terga, pedesque
Osculor, incusso quàm mihi calce graves!
Hoc merui, quòd Numen amem, votisque lacessam?
Degener, heu, nostris & malè dignus Avis.
Quid? Precer ultoremne Deùm? Illo vindice, factum
Ulciscar. Faciam te quoque, Paule, pium.

Id.Epigr.XXI.

Te Frater dum calce, Puer, dum fuste lacessit,
Nulla tibi vox, suspiria nulla sonant.
Ille furit, fremit ille: solet Lea qualis, inulta
Seu Tigris, catulis jam viduata suis.
Teque silente, magis contrà furit. Hiccine calce
Te premit? An premitur? Non ferit ille: feris.

Pau-

Paulus Stanislai precibus ad Deum conversus, magnas de se pœnas sponte sumit.
Epigr. XXII.

PRomissis stas, Dive, fatis: Cæloque potitum,
Teque viæ sequitur Frater ad Astra Ducem.
Seque tuæ solers dum format imagine vitæ,
In Paulo nullus jam propè Paulus erat.
Tunc eadem Pietas ambobus, candor & idem:
Teque refert Puerum moribus ille senex.
Ah quoties de te doluit, factique: suique
Pertæsus, multo lavit ab imbre genas!
Itque simul lachrymis mixtus cruor, ubere rivo.
Ulcisci poteras non meliore manu.
Est ubi sponte Reus lictor sibi; sævior ullus,
Quem pudet, & facti pœnitet, ultor erit?

Decumbens, Dæmonem in formâ Canis ter illum invadentem, ter Crucis signo vertit in fugam Stanislaus
Epigr, XXIII.

HEu, malè dum Kostkæ teneros depascitur artus:
Et ciet ante diem, non sua fata lues;
Infernâ de sede, minaxque Molossus hianti
Erumpens, ægrum quò voret, ore petit.
Tota domus, Monstro quatitur latrante, vel ipso
Palluit aspectu, Sole timente, dies.
At non ille: manu, quâ se Cruce pingit, in hostem
Fortior, hac victâ de Styge victor ovat.
Quantus erat! Puero res tanto est cũ hoste; & inermis
Hunc Puer: hunc unâ vicit & ille manu!

Id.

Id.Epigr.XXIV.

Kostkiadem nigro aggreditur latrator ab Orco:
Arma nec is, se queis ulla tuetur, habet.
Languenti vis nulla, fugæ aut spes prompta; trifauci
Præda patet, Monstro mox laceranda, Puer.
Fallor io: simul ille Crucis pia corripit arma;
Irrita vis, stygii concidit ira Canis.
Ter nisus lacerasse, ter & Cruce pulsus; eodem
Victori telo laurea parta triplex.
Proh tibi quàm facilis Mars & victoria! in una,
Dive, tibi telum est, est quoque palma, manu.

Id.Epigr.XXV.

Ter morsu dum te peteret malè Cerberus; illum
Tu simul oppositâ ter Cruce, Kostka, petis.
Hanc non ille ferens, ipso fugit ocyor Euro.
Quàm verè Stygio Crux fuit illa Cani!
Sponte sua vacuo repetit vel Tartara morsu:
Hoc cavet ille magis nam sibi fuste Canis.

Id.Epigr.XXVI.

Tantus at undè pavor? Nigrum compellit in Orcum.
Quæ vis? nulla æger, qui jacet, arma movet.
Ille Crucis tantùm clypeo se munit. An olli
Ut clypeus munit Crux? an ut hasta petit?
Quidquid id est; Stygios, disce hinc, quî viceris hostes:
Si caveas, illis nè feriare, feris.

D.Barbara V. & M.

Ægrotanti visendam se, ac Sanctissimam Eucharistiam, Angelis ministrantibus, sumendam præbet.

Epigr.XXVII.

CUm tibi tam blandi, Virgo, ac præ nectare dulces
Sint mores; ah quid, Barbara, Nomen habes?

Te vix Kostkiade, niveâ cum vecta Curuli,
Invisura, Poli deseris Astra, vocat.
Languentemque fame sat longâ Numinis; una
Ore oculos, diâ de Dape corda beas.
O bona Virgo! tuis ò dissona Nomina factis!
Ipsa utinam mihi sic barbara sit Pietas?

Id.Epigr.XXVIII.

Barbarus hoc Genitor voluit te nomine dici;
Gnata suæ ut fieres æmula Barbariæ.
Spem pia lusisti, lusisti vota Parentis
Sæva: salutarem Kostkia sensit opem.
Blanda foves: pastumque Deo benè pectus eduli,
Prædurâ Juvenem solvis ab esurie.
Proh quantum voluit sibi Virtus sæpè licere!
Hæc nasci hac Pietas è feritate potest?

Id.Epigr.XXIX.

Felix, cui Superis pasci fas, Dive, Ministris:
Jejuno an melior dextra ministra Deo;
Cum triplices terno victor certamine laurus
Decerpens, longam solvit is esuriem?
Ergo pares mensæ famuli, sed mensa sat impar:
Ille dape hac nostrâ, pasceris ipse Deo.

Visâ cum Puero Iesu Deipara, Æger morti proximus convalescit.

Epigram.XXX.

DIve, mori jam te, Cœloque inferre licebit:
Subsidium longæ hac sat tibi fruge viæ est.
Nectunt fata moras? Parcæ nec staminis audent
Rumpere fila? Prior jam propè vita redit,
Et vigor, & gelidis calor artubus; ipsa genarum
Forma, vel hyblæis non simulanda Rosis.

Nam

Nam Jesum complexa sinu, vix visa Clienti est
Dia Parens; nullâ cum redit arte salus.
Victa lues, mors victa abiit. Par una vel audax
Mors nulla est, præsens est ubi vita duplex.

Id. Epigram. XXXI.

Languet ut ardenti flos mox moriturus ab Astro;
Languebant calido Kostkia membra thoro.
Nullaque vim morbi vis arcet Pæönis: & jam
Sæva parat vitæ carpere pensa Soror.
Non tulit hæc sed Diva suo cum Pignore: lethum
Visa fugat, crudi & funeris exequias.
Miraris Juvenem num sic vixisse? Quid hoc est?
Mirarer Juvenem sic potuisse mori.

Puer Iesus, & Stanislaus eodem in lectulo, castos inter amplexus, Deiparâ spectante, colludentes.

Epigr. XXXII.

STanislae, tuo tibi quàm benè vernat Jêsu
Lectulus! Hoc uno flore sat ille tumet.
Non hunc Enna suis, non hunc Hybla educat hortis;
Picta nec Astrorum floribus Æthra parem.
Quæ tua sors, tua cum Puerum casta oscula Numen;
Vel cum te Pueri Numinis ipsa petunt?
Complexoque Deo frueris? Num febribus ardes?
An potiùs tota est jam tua febris, Amor?
Fac quærant alii, currant, lassentur, Jêsum
Ut teneant; sed tu (hoc sat tibi) Dive, cuba.

Id. Epigr. XXXIII.

En Jesu, est Kostkęque unus jam lectulus. At quis
Dulciùs hìc, Jesus an mage Kostka cubat?
Dulciùs ille cubat, cubat iste at tutiùs: Alter
Nil hìc quod timeat, plus velit alter, habet.

Koſtka tuo ſatis eſt, Jeſu, vel ſolus amori:
Solus & eſt Jeſus ſat tibi, Koſtka, ſalus.

Id. Epigram. XXXIV.

Eſtis & ambo ſimul; lecto at non eſtis eodem:
Alter in alterius dormit uterque ſinu.
Quiſque ſuo gaudetque thoro; thorus ipſe cubanti
Mutuus, & dulci parta ſopore quies.
Corde cubat Jeſu Joannes. At tibi plus eſt:
Koſtka: tuo Jeſus nunc quoque corde cubat.

Id. Epigram. XXXV.

Tædia dum ferret lecti ſat longa calentis
Koſtkius: extremam Mors properatque diem;
Dulcia p opitio ò quæ libat gaudia Cœlo!
Delicias animi non capit ille ſui.
Inviſunt Superis Cives de ſedibus Ægrum:
Jejuno eſt dia de Dape pulſa fames.
Et vultu beat alma Parens: Puer ambit Jeſus
Amplexu. ò quis amor! Koſtkius ò quis honor!
Ægrotaſſe juvat ſic: hac mercede ſuperſtes
Nulla mihi poſthac ſit ſine febre dies.

Deiparæ juſſu Societatem Ieſu, à lecto ſurgens, ambit.

Epigr. XXXVI.

QUid Lojolæis Juvenem ſe adjungere ſignis
Diva, jubes, Jeſu ac ſub Duce, caſtra ſequi?
Lojolæ binos propè te dictaſſe libellos,
Novimus: hæc pugnæ ſunt nova tela ſuæ.
Quàm benè Militiæ ſua quæ belli arma miniſtras;
Scribendi curâ Militis ipſa cales!

Id. Epigr. XXXVII.

Diva, duo Koſtkæ ſimul addis munera: Vitam,
Atque novi in Jeſum Militis obſequium.

Quid causæ est? Juveni sic fas est vivere? Debet
An sine vel pugnæ conditione mori?
Nosco equidem. Jesu ni vivat, eumque sequatur;
Non benè vita valet, cui benè vita valet.

Mendiculi habitu fugit; Societatem Iesu Viennæ non obtentam, ubique gentium ex voto quæsiturus.

Epigr. XXXVIII.

QUò te, Kostka, pedes clam proripis? Ullus aviti
Non te tangit honor sanguinis? Ullus amor?
Omnia fastidis: pede calcas omnia: Matris
Dulcia non curas oscula, Sceptra Patris.
Sceptra Domus vili pergis mutare bacillo.
Quantus pannosi pauperis ore lates!
Calce libens quisquis potuit calcare fugaci
Tanta hæc: calcarat se priùs ille satis.

Insequentis se Fratris vim, ab eo non agnitus, nec sine miraculo eludit.

Epigram. XXXIX.

PAule, redi: Fratrem ire vetas, tua quem ire coëgit
Multò sævities verbere. Paule redi.
Insequeris frustrà fugientem. Vixerat exul
Ille domi: domum habet Frater in exilio.
Irrita vis, oculis ipsos invisus abibit
Ante oculos: ullas non timet ille manus.
Agnitus haud nosces. Culpæ quàm consona pœna est!
In Fratre haud Fratrem noscere crimen erat.

Id. Epigram. XL.

Pone metus: Fratrisque manus innoxius, ipsos
Eludes oculos, Kostkia: pone metus.

Namque videns, captoque parans tibi vincula, Frater
Non videt. Anne oculos vel sua vincla ligant?
Quidquid id est, cave, nè metuas: quē Numē obūbrat,
Noxia vis, nempè, hunc nè videt illa quidem.

Agnitus, & iam comprahendendus à Fratre, currentes equos, mirabiliter enervatos, sistit.

Epigr. XLI.

QUadriiugis it Paulus equis, sequiturq; fugacem:
Vincla minax Fratri, vulnera & ipsa parat.
Jam jamque assequitur: Malè nixus namque bacillo,
It pedes, & longæ nescius ille viæ.
Consilii ast inopem juvit Deus. Illicò cursu
In medio Alipedes stare coëgit equos.
Paule, redi. Valet haud hominem frœnare, jubente
Atque Deo, Pietas sistere? sistit equos.

Eâdem in fuga sicco super aquas pede fluvium traiicit.

Epigr. XLII.

PRoripe te: Pauli ne minas non excipis? Instat
Ponè sequax, toto verbere & urget equos.
Ire tamen negat amnis, aquâ non pervius altâ:
Nulla patens tutæ spes; via nulla fugæ est.
Fallimur. Ille suâ fultus spe, seque fluento
Credidit: impavido ac sub pede durat aquas.
Immotos miraris equos? Mirare, quod audet
Hæc fuga: vel fluviis imperat illa moras.

Id. Epigr. XLIII.

Decessere aliis: medio discissaque rivo *
Flumina, vel siccas spontè dedere vias.

Non

* Iordanis Hebræis patens.

Non ſic Koſtkiadæ. Pleno pedes ambulat alveo:
  Najas ipſa ſuum ſubdita pondus amat.
Quid curſus oblita ſuos, ſubſternitur uni?
  Calcari pedibus nec ſibi lympha cavet?
Obſequium foret amnis aquas decedere; at illas
  Subſterni obſequium eſt, & ſimul ambitio.

Id. Epigr. XLIV.

Stanislae, tuæ quò ſerviat illa ſaluti;
  Duratur pedibus mollior unda tuis.
Auguror hinc meliora, Tuus molleſcere frater
  Ediſcet; quando ſe tibi durat aqua.

Id. Epigr. XLV.

Crederis en fluvio, fluvio nec mergeris: ac te,
  Quæ vorat, ipſa ſui non memor, unda vehit.
Scilicet, abiecto rerum jam pondere, ſentit
  Nil grave: nil, ergo, quod voret, Amnis habet.

Iter habenti Sanctiſſimæ Eucharistia Sacramentum per Angelos iterùm miniſtratur.

Epigr. XLVI.

Templum adit, ut veſco ſe Numine Koſtka bearet:
  Has ibi ſed nullas repperit eſſe Dapes.
Ergo largifluo ſua dum jejunia fletu
  Proſequitur, longam conqueriturque famem;
En ſacra Cœlicolûm denſo volat Eſca Maniplo:
  Teque beas, votis, Koſtka potite tuis.
Subſidium jam mitte viæ plus quærere: ad Aſtra
  Pane vel hoc uno, quis neget? ire licet.

Id. Epigr. XLVII.

Longum iter aggrederis: Puero quoque nullus eunti
  It Comes: una præit pallida Pauperies.
At tu ſume animos: deſint licet omnia; nuſquam
  Cœlite qui pavit te modo fruge, Deus.

Id.Epigr.XVI.

Quæ tibi Majeſtas oris! Qui fulgor! Amorum
Ille Deam figens vulnere, fulmen erat.
Namque ſuis vivax fureret dum Cypria flammis;
Te videt, & vultu concidit icta tuo.
Sic jaculis confoſſa ſuis:queis ſæpè triumphat;
In ſua dum vertis vulnera, victa perit.
Semianimem obſcœno te jam dejecerat ore:
Vltus es ore ſatis vindice, dum perimis.

Paulum, fratrem natu maiorem, ad Pietatis officia adverſarium nactus, admirabili fert animi conſtantia.

Epigr.XVII.

NOn eadem Pietas,quibus idem ſanguis. An uno
Tàm diſpar Fratrum Par fuit è gremio?
Stanislae,Deum votis,Cœlumque fatigas,
Terrenâ nunquam captus ab illecebrâ.
Non ſic,Paule: Dei miſer,heu, Cœlique, Tuique
Immemor, heu, quantis capte cupidinibus!
Illum Dius Amor, rapit at te fœda Cupido.
Qui rapit,is te ſat,quò rapiare, docet.

Stanislai ad Paulum.

Epigr. XVIII.

PAule,meũ cor,lux mea,quondã animæq;voluptas,
Ah,mihi per te cùr non licet eſſe pium?
Chara Deo Pietas, & caſti cura Pudoris
Anxia,& à maculâ,quæ ſibi vita cavet.
Hæc tibi ſunt odii in Fratrem mala ſemina? & indè
Fit furor, undè aliis creſcere ſuevit Amor?
Fuſte feris & calce: dies ſine vulnere Fratri
Nulla it: nec de te cum Patre, Paule,queror.

Quid

Quid querar? His crescit Virtus, seque ictibus urget
Acrior; ut lentam ventilat aura facem.
Ergò age, fas totis tibi vel sævire diebus.
Frater es; at mihi si mitior, hostis eris.

Id.Epigr.XIX.

Hostem in Fratre Puer,Fratrem vel nactus in hoste,
Astra, tuo calcor cum pede,Paule,premo.
Sublimis gradior pressus: sapiuntque Parentum
Oscula,fraterno præ mihi fuste, minùs.
Nil ego pro me; sat pro te sed multa dolemus.
Noxius, innocuo qui nocet, ipse sibi est.

Id. Epigr.XX.

Dicebam, Geminos inter sit gratia Fratres
Rara quidem: ast odium rarius esse decet.
Quid te, Frater, agens in me implacabile,amoris
Nullo odium nostri flectitur obsequio?
Sæpè manus,queis ora feris,ac terga, pedesque
Osculor, incusso quàm mihi calce graves!
Hoc merui, quòd Numen amem,votisque lacessam?
Degener, heu, nostris & malè dignus Avis.
Quid? Precer ultoremne Deùm? Illo vindice, factum
Ulciscar. Faciam te quoque, Paule,pium.

Id.Epigr.XXI.

Te Frater dum calce,Puer, dum fuste lacessit,
Nulla tibi vox, suspiria nulla sonant.
Ille furit, fremit ille:solet Lea qualis, inulta
Seu Tigris, catulis jam viduata suis.
Teque silente,magis contrà furit. Hiccine calce
Te premit? An premitur? Non ferit ille: feris.

Pau-

Paulus Stanislai precibus ad Deum conversus, magnas de se pœnas spontè sumit.
Epigr.XXII.

PRomissis stas, Dive, fatis: Cæloque potitum,
Teque viæ sequitur Frater ad Astra Ducem.
Seque tuæ solers dum format imagine vitæ,
In Pauso nullus jam propè Paulus erat.
Tunc eadem Pietas ambobus, candor & idem:
Teque refert Puerum moribus ille senex.
Ah quoties de te doluit, factique: suique
Pertæsus, multo lavit ab imbre genas!
Itque simul lachrymis mixtus cruor, ubere rivo.
Ulcisci poteras non meliore manu.
Est ubi spontè Reus lictor sibi; sævior ullus,
Quem pudet, & facti pœnitet, ultor erit?

Decumbens, Dæmonem in formâ Canis ter illum invadentem, ter Crucis signo vertit in fugam Stanislaus
Epigr,XXIII.

HEu, malè dum Kostkæ teneros depascitur artus:
Et ciet ante diem, non sua fata lues;
Infernâ de sede, minaxque Molossus hianti
Erumpens, ægrum quò voret, ore petit.
Tota domus, Monstro quatitur latrante, vel ipso
Palluit aspectu, Sole timente, dies.
At non ille: manu, quâ se Cruce pingit, in hostem
Fortior, hac victâ de Styge victor ovat.
Quantus erat! Puero res tanto est cū hoste;& inermis
Hunc Puer: hunc unâ vicit & ille manu!

Id.

Id.Epigr.XXIV.

Kostkiadem nigro aggreditur latrator ab Orco:
Arma nec is, se queis ulla tuetur, habet.
Languenti vis nulla, fugæ aut spes prompta; trifauci
Præda patet, Monstro mox laceranda, Puer.
Fallor io: simul ille Crucis pia corripit arma;
Irrita vis, stygii concidit ira Canis.
Ter nisus lacerasse, ter & Cruce pulsus; eodem
Victori telo laurea parta triplex.
Proh tibi quàm facilis Mars & victoria in una,
Dive, tibi telum est, est quoque palma, manu.

Id.Epigr.XXV.

Ter morsu dum te peteret malè Cerberus; illum
Tu simul oppositâ ter Cruce, Kostka, petis.
Hanc non ille ferens, ipso fugit ocyor Euro.
Quàm verè Stygio Crux fuit illa Cani!
Sponte sua vacuo repetit vel Tartara morsu:
Hoc cavet ille magis nam sibi fuste Canis.

Id.Epigr.XXVI.

Tantus at undè pavor? Nigrum compellit in Orcum.
Quæ vis? nulla æger, qui jacet, arma movet.
Ille Crucis tantùm clypeo se munit. An olli
Ut clypeus munit Crux? an ut hasta petit?
Quidquid id est; Stygios, disce hinc, quî viceris hostes:
Si caveas, illis nè feriare, feris.

D. Barbara V. & M.
Ægrotanti visendam se, ac Sanctissimam Eucharistiam, Angelis ministrantibus, sumendam præbet.

Epigr. XXVII.

CUm tibi tam blandi, Virgo, ac præ nectare dulces
Sint mores; ah quid, Barbara, Nomen habes?

Te vix Kostkiade, niveâ cum vecta Curuli,
Invisura, Poli deseris Astra, vocat.
Languentemque fame sat longâ Numinis; una
Ore oculos, diâ de Dape corda beas.
O bona Virgo! tuis ò dissona Nomina factis!
Ipsa utinam mihi sic barbara sit Pietas?

Id.Epigr.XXVIII.

Barbarus hoc Genitor voluit te nomine dici;
Gnata suæ ut fieres æmula Barbariæ.
Spem pia lusisti, lusisti vota Parentis
Sæva: salutarem Kostkia sensit opem.
Blanda foves: pastumque Deo benè pectus eduli,
Prædurâ Juvenem solvis ab esurie.
Proh quantum voluit sibi Virtus sæpè licere!
Hæc nasci hac Pietas è feritate potest?

Id.Epigr.XXIX.

Felix, cui Superis pasci fas, Dive, Ministris:
Jejuno an melior dextra ministra Deo;
Cum triplices terno victor certamine laurus
Decerpens, longam solvit is esuriem?
Ergo pares mensæ famuli, sed mensa sat impar:
Ille dape hac nostrâ, pasceris ipse Deo.

Visâ cum Puero Iesu Deipara, Æger morti proximus convalescit.

Epigram.XXX.

DIve, mori jam te, Cœloque inferre licebit:
Subsidium longæ hac sat tibi fruge viæ est.
Nectunt fata moras? Parcæ nec staminis audent
Rumpere fila? Prior jam propè vita redit,
Et vigor, & gelidis calor artubus; ipsa genarum
Forma, vel hyblæis non simulanda Rosis.

Nam

Nam Jesum complexa sinu, vix visa Clienti est
Dia Parens; nullâ cum redit arte salus.
Victa lues, mors victa abiit. Par una vel audax
Mors nulla est, præsens est ubi vita duplex.

Id. Epigram. XXXI.

Languet ut ardenti flos mox moriturus ab Astro;
Languebant calido Kostkia membra thoro.
Nullaque vim morbi vis arcet Pæŏnis: & jam
Sæva parat vitæ carpere pensa Soror.
Non tulit hæc sed Diva suo cum Pignore: lethum
Visa fugat, crudi & funeris exequias.
Miraris Juvenem num sic vixisse? Quid hoc est?
Mirarer Juvenem sic potuisse mori.

Puer Iesus, & Stanislaus eodem in lectulo, castos inter amplexus, Deiparâ spectante, colludentes.

Epigr. XXXII.

STanislae, tuo tibi quàm benè vernat Jĕsu
Lectulus! Hoc uno flore sat ille tumet.
Non hunc Enna suis, non hunc Hybla educat hortis;
Picta nec Astrorum floribus Æthra parem.
Quæ tua sors, tua cum Puerum casta oscula Numen;
Vel cum te Pueri Numinis ipsa petunt?
Complexoque Deo frueris? Num febribus ardes?
An potiùs tota est jam tua febris, Amor?
Fac quærant alii, currant, lassentur, Jĕsum
Ut teneant; sed tu (hoc sat tibi) Dive, cuba.

Id. Epigr. XXXIII.

En Jesu, est Kostkęque unus jam lectulus. At quis
Dulciùs hìc, Jesus an mage Kostka cubat?
Dulciùs ille cubat, cubat iste at tutiùs: Alter
Nil hìc quod timeat, plus velit alter, habet.

Kostka tuo satis est, Jesu, vel solus amori:
Solus & est Jesus sat tibi, Kostka, salus.

Id. Epigram. XXXIV.

Estis & ambo simul; lecto at non estis eodem:
Alter in alterius dormit uterque sinu.
Quisque suo gaudetque thoro; thorus ipse cubanti
Mutuus, & dulci parta sopore quies.
Corde cubat Jesu Joannes. At tibi plus est:
Kostka: tuo Jesus nunc quoque corde cubat.

Id. Epigram. XXXV.

Tædia dum ferret lecti sat longa calentis
Kostkius: extremam Mors properatque diem;
Dulcia p opitio ô quæ libat gaudia Cœlo!
Delicias animi non capit ille sui.
Invisunt Superis Cives de sedibus Ægrum:
Jejuno est dia de Dape pulsa fames.
Et vultu beat alma Parens: Puer ambit Jesus
Amplexu. ô quis amor! Kostkius ô quis honor!
Ægrotasse juvat sic: hac mercede superstes
Nulla mihi posthac sit sine febre dies.

Deiparæ jussu Societatem Iesu, à lecto surgens, ambit.

Epigr. XXXVI.

QUid Lojolæis Juvenem se adjungere signis
Diva, jubes, Jesu ac sub Duce, castra sequi?
Lojolæ binos propè te dictasse libellos,
Novimus: hæc pugnæ sunt nova tela suæ.
Quàm benè Militiæ sua quæ belli arma ministras;
Scribendi curâ Militis ipsa cales!

Id. Epigr. XXXVII.

Diva, duo Kostkæ simul addis munera: Vitam,
Atque novi in Jesum Militis obsequium.

Quid

Quid caussæ est? Juveni sic fas est vivere? Debet
  An sine vel pugnæ conditione mori?
Nosco equidem. Jesu ni vivat, eumque sequatur;
  Non benè vita valet, cui benè vita valet.

Mendiculi habitu fugit; Societatem Iesu Viennæ non obtentam, ubique gentium ex voto quæsiturus.

Epigr. XXXVIII.

QUò te, Kostka, pedes clam proripis? Ullus aviti
  Non te tangit honor sanguinis? Ullus amor?
Omnia fastidis: pede calcas omnia: Matris
  Dulcia non curas oscula, Sceptra Patris.
Sceptra Domus vili pergis mutare bacillo.
  Quantus pannosi pauperis ore lates!
Calce libens quisquis potuit calcare fugaci
  Tanta hæc: calcarat se priùs ille satis.

Insequentis se Fratris vim, ab eo non agnitus, nec sine miraculo eludit.

Epigram. XXXIX.

PAule, redi: Fratrem ire vetas, tua quem ire coëgit
  Multo sævities verbere. Paule redi.
Insequeris frustrà fugientem. Vixerat exul
  Ille domi: domum habet Frater in exilio.
Irrita vis, oculis ipsos invisus abibit
  Ante oculos: ullas non timet ille manus.
Agnitus haud nosces. Culpæ quàm consona pœna est!
  In Fratre haud Fratrem noscere crimen erat.

Id. Epigram. XL.

Pone metus: Fratrisque manus innoxius, ipsos
  Eludes oculos, Kostkia: pone metus.

Namque videns, captoque parans tibi vincula, Frater
 Non videt. Anne oculos vel sua vincla ligant?
Quidquid id est, cave, nè metuas: quē Numē obūbrat,
 Noxia vis, nempè, hunc nè videt illa quidem.

Agnitus, & iam comprahendendus à Fratre, currentes equos, mirabiliter enervatos, sistit.

Epigr. XLI.

QUadriiugis it Paulus equis, sequiturq; fugacem:
 Vincla minax Fratri, vulnera & ipsa parat.
Jam jamque assequitur: Malè nixus namque bacillo,
 It pedes, & longæ nescius ille viæ.
Consilii ast inopem juvit Deus. Illicò cursu
 In medio Alipedes stare coëgit equos.
Paule, redi. Valet haud hominem frœnare, jubente
 Atque Deo, Pietas sistere? sistit equos.

Eâdem in fuga sicco super aquas pede fluvium traiicit.

Epigr. XLII.

PRoripe te: Pauli ne minas non excipis? Instat
 Ponè sequax, toto verbere & urget equos.
Ire tamen negat amnis, aquâ non pervius altâ:
 Nulla patens tutæ spes; via nulla fugæ est.
Fallimur. Ille suâ fultus spe, seque fluento
 Credidit: impavido ac sub pede durat aquas.
Immotos miraris equos? Mirare, quod audet
 Hæc fuga; vel fluviis imperat illa moras.

Id. Epigr. XLIII.

Decessere aliis: medio discissaque rivo *
 Flumina, vel siccas spontè dedere vias.

Non

* *Iordanis Hebræis patens.*

Non ſic Koſtkiadæ. Pleno pedes ambulat alveo:
Najas ipſa ſuum ſubdita pondus amat.
Quid curſus oblita ſuos, ſubſternitur uni?
Calcari pedibus nec ſibi lympha cavet?
Obſequium foret amnis aquas decedere; at illas
Subſterni obſequium eſt, & ſimul ambitio.

Id. Epigr. XLIV.

Stanislae, tuæ quò ſerviat illa ſaluti;
Duratur pedibus mollior unda tuis.
Auguror hinc meliora. Tuus molleſcere frater
Ediſcet; quando ſe tibi durat aqua.

Id. Epigr. XLV.

Crederis en fluvio, fluvio nec mergeris: ac te,
Quæ vorat, ipſa ſui non memor, unda vehit.
Scilicet, abiecto rerum jam pondere, ſentit
Nil grave: nil, ergo, quod voret, Amnis habet.

Iter habenti Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum per Angelos iterùm miniſtratur.

Epigr. XLVI.

Templum adit, ut veſco ſe Numine Koſtka bearet
Has ibi ſed nullas repperit eſſe Dapes.
Ergo largifluo ſua dum jejunia fletu
Proſequitur, longam conqueriturque famem;
En ſacra Cœlicolûm denſo volat Eſca Maniplo:
Teque beas, votis, Koſtka potite tuis.
Subſidium jam mitte viæ plus quærere: ad Aſtra
Pane vel hoc uno, quis neget? ire licet.

Id. Epigr. XLVII.

Longum iter aggrederis: Puero quoque nullus eunti
It Comes: una præit pallida Pauperies.
At tu ſume animos: deſint licet omnia; nuſquam
Cœlite qui pavit te modo fruge, Deus.

Omnia habes uno hoc; ſatis hoc ditiſſimus uno es,
Ipſe, Viatori qui cibus, ipſe comes.

Id.Epigr.XLVIII.

Spiſſa Cohors nitidis ad te delabitur alis
Cœlicolûm: Tibi num non ſatis unus erat?
Deque via laſſum, communi pane refectum,
Ire negat: diâ te Dape, Dive, beat.
Detulit hoc merito, majori an fortè labori?
Indè ſcies, longum quàm tibi reſtat iter.

Ducenta ſupra mille milliaria pedes conficit: ac ſic Societatem Ieſu, tandiu quæſitam, Romæ tandem ingreditur.

Epigr.XLIX.

DIc age, Terrarum tot per ſpatia ampla Viator,
Quò? tibi quid tanto, Koſtka, labore petis?
Nempè, ubi ſe Jeſu tollunt Vexilla Quirinis
Arcibus: hac ſcribi ſub Cruce Miles amas.
Militiæ huic quantus labor eſt! ah, quanta ſub iſtâ
Seu Cruce, Lojolâ ſeu Duce, Pauperies!
Annè hæc te noſtris rapiunt contraria votis?
Aſpera, nempè, tibi Mens ea multa pati.
Dive, nihil toto quæſiſti ex Orbe. Parum hoc eſt?
Quid totâ pergis quærere in Urbe nihil?

Id. Epigr. L.

Ut Sophiæ ſibi quærat opes, procul iſſe Sophorum
Turba, exul patrio dicitur illa ſolo.
Tu quoque, Koſtkiade, patriis ſponte exul ab oris,
Quæſitum Sophiæ is, ſed melioris, opes.
Hæc Crucis ardor, opes vel habendi nulla Cupido eſt:
Gloria cumque ſuo ſpreta ſupercilio.
Omnia mox JEſu diſces Doctore: docente,
Nam nil, qui JEſu non ſapit, ille ſapit.

Id.

Id. Epigram. LI.

Clara Domus ſceptro genuit te, Koſtka, Polono,
Koſtka, Palatinis clarior ortus Avis.
Nonne ſatis profugum patriis excedere Terris?
Vis etiam fieri Transfuga & ipſe tui.
Ah quid inops cenſu nullo, ſub paupere cultu
Abderis? Heu, veſtis non tua teque tegit.
At non ſic oculos fugies. Te Roma latentem
Agnoſcet, meritis obſequioſa tuis.
Victorem Mundi Juvenem admirata; triumpho
Haud unquam potuit nobiliore frui.

Præcipua in Stanislao Virtutum decora. Ac primò Virginitas ab ipſis carnis tentatiunculis prorsùs immunis.

Epigr. LII.

O Quis, Dive, Pudor! Quæ vis? Non inſita carnis
Te lex ulla, jugo ſat gravis illa, premit.
Conſtas carne, ſui aſt hæc nil ſapit: Et Luteum in te
Par etiam ſuperis Mentibus, audet opus.
Inuitum non ulla Venus petit improba: & ullâ
Idaliâ tangi novit ab illecebrâ.
Formoſum vidiſſe ſemel, periiſſe Pudori
Sæpè fuit: ſed te innoxius ille videt.
Flos ſine vepre tibi forma eſt, ſine vulnere. Quidni.
Pungi jam nequeat, pungere qui nequiit?

Iugis Oratio, nullis animi evagationibus obnoxia.

Epigr. LIII.

KOſtka, Deo ſic mente vacas, Cœloque; tumultus
Sentiat ut nullos Mens agitata ſuos.
Alta quies, animæ, cui nil ſtrepit. Ilicet, ultrò,
Cui Deus eloquitur, cuncta repentè ſilent.

Nil

Nil hùc, nil illùc Mentem abripit. Hæret at uni,
Cui vacat: errores non habet illa suos.
Flumina quid miror tua stare ad jussa? & volùcres
Plus est, te Mentis sistere posse fugas.

Pluriès orat, à Terrâ, toto sublimis corpore.
Epigr. LIV.

EVehitur medium Cœli per inane, Volantûm
More, sequax animæ corpus euntis iners;
Arcanâ dum Mente Deum, dum sidera voluens;
Multa Poli versat Kostkia, nulla soli.
Oblitusque sui, liquidi novus Accola Regni;
Sublimis brutam nec pede tangit humum.
Terrea cui labes nulla, ignea tantaque cui vis,
Hic, expers quid ni ponderis, alta petat?

Eximio lachrymarum dono semper madens.

Epigr. LV.

CArperis arcano superi vix Flaminis æstu,
Kostka, suo tibi cum lumina ab imbre natant.
Inque sinu Rogus est, oculis Fons. Ignibus ultrò
Jungis aquas; ignes fœdere jungis aquis.
Sic benè, nè nimiùm madeas, fax temperat undam:
Nè caleas nimiùm, temperat unda facem.

Id. Ep. LVI.

Astra petis vix mente, duo cum flumina manant
Sponte oculis. Heu quid totus is in lachrymas?
Totus & in suspiria? Siccine prodigis istas
Frontis opes? Unda hæc est pretiosa satis.
Parce precor. Tibi tot lachrymis par Astra rependent?
In Cœli pretium lachryma & una sat est.

Id.

Id. Epigram. LVII.

Pone modum, pretium lachrymis si ponere nullum
Vis. Nimiùm indulges, Kostkia, pone modum.
Sat malè proficuas nullo nunc prodigis usu
Frontis aquas. Iuvat hæc flentis avarities.
Nempè, ubi divino tibi cor exæstuat igni;
Tunc his, nè pereas, utere largus aquis.
Fallimur. Ah, sicco lapidescant lumina rivo.
Dius Amor plus his, credite, crescit aquis.

Charitas in Deum planè admirabilis.
Epigram. LVIII.

QVis calor? Ah Iuvenem dulcis quę flāma perurit?
En moritur nimiâ cordis ab illecebrâ.
Parciùs ista precor. Tantos ni temperat Ignes,
Ampliet angustos Numinis Aura sinus.
Ah pius, ah crudelis Amor! Te Kostkius uno
Vivit ab igne: idem Kostkius igne perit?

Ad levamentum nimii ardoris, frigidiores cogitur auras captare.
Epigram. LXIX.

KOstkius arcano sic pectoris ardet ab igni;
Urat ut ipsa animæ fax quoque membra latens.
Ergo, quò, flammæ haud patiens, sic leniat ignes,
Frigida siqua restant Flamina, captat opem.
Ah neu, Dive, malo noceat Medicina, caveto.
Sopitam, nescis? excitat aura facem.

Ad hæc frigidâ benè madida ad pectus lintea adhibet.

Epigram.LX.

STANISLAE, tibi geminis cor icitur armis:
In te,quà jaculo, quà face pugnat Amor.
Vreris; exustoque simul dum corde feriris,
Te cremat:illa eadem te quoque flamma ferit.
Ergo malo duplex duplici medicina paranda est:
Quæque madet gelidâ, Cor tibi zona tegat.
Uulneribus,facibusque sat hæc sunt cōmoda.Flāmam
Unda necat,flammæ vulnera Vitta ligat.

Id. Epigram. LXI.

Corde latens dius Juvenem sic concremat Ignis;
Ipse alios tanto ut cordis ab igne cremet.
Indè, ut opem, nimiis morituro jam æstibus, undæ
Accelerent; multis pectus inundat aquis:
Egelido vel mersa lacu, multoque calentes,
Fonte madens, recreat plurima mappa sinus.
Frustrà animæ languentis opem sic quæritis:Olli
Intus,egens curæ, vulnus amoris hiat.

Id.Epigram. LXII.

Parce,Amor,heu,jaculis,flammis,heu,parce: sat uno
In corde haud flammis tot, jaculisque locus.
Aspice,ut arcanis vita impar æstibus,impar
Vulneribusque,animâ deficiente,fugit:
Uulnera quot, quantique æstus sint,coniice: ad æstus
Vix sat aquis, totque ad vulnera linteolis.
Immò novas,Amor,adde faces,Amor,adde sagittas.
Hac face,ab hoc,vivit,vulnere qui moritur.

Id.Epigr.LXIII.

Langues,STANISLAE,& amas: quæque urit Amoris
Flammâ, ipso tibi præ corpore,corda calent,
Estque idem languentis Amor, qui languor Amantis:
Hoc magè languor amat; quò magè lāguet Amor.

Sic

Sic languere juvat: languor dum crescet amanti,
Languenti (merces quàm inclytà!) crescet Amor.

Ab amoris ardore periculum vitæ subit; qui quondam fuerat, vel inter ignes, innoxius.

Epigram. LXIV.

CÆlo inhians, Numenque vocans in vota, calescit
Cor tibi sic, fias ut propè, Kostka, cinis.
Heu langues: intercluso quin aëris haustu,
Deficis, à flammis mox moriture tuis.
Te, non ausa olim vel tangere flamma cubantem:
Sopitoque levem vel temerare comam.
Ignem, haud ille satis dixit, qui dixit Amorem:
Namque Tibi Ignis, non, Dive, pepercit Amor.

Id. Epigr. LXV.

STANISLAE, Thoro quin Tete proripis? Haud hic
Iam Thorus: accenso est jam sed ab igne Rogus.
Dulcè soporato sed nil Tibi noxia, Tete
Fax timet, exusto vel maculare Thoro.
Te præter, nam cuncta cremans, jejuna, simulque
Flamma vorax, eadem innoxia, & una nocet:
Compressitque famem, nolens tibi sæva nocere.
Debebas flammâ nobiliore mori.

Id. Epigr. LXVI.

Nempè, ab Amore cades, meliore crematus ab igni:
Hinc vili haud poteras ustus ab igne mori.
Dius Amor dabit ipse suis mox te ignibus: isthæc
Victima non alio tanta cremanda Rogo est.

Id. Epigram. LXVII.

Mira fides! mites flammarum vidimus iras;
Kostkiadem nocuas nec tetigisse faces.
Nempè, hæc intacti Merces à labe Pudoris;
Nullaque Acidaliæ gaudia nosse Deæ.

No-

Noſcere jam tanto ſi vis, cur Mulciber igni
Læſerit haud Iuvenem? Conjugis hoſtis erat.

Odium ſui pœnarum ſitientiſſimum, cum eximiâ morum Innocentiâ conjunctum.

Epigram. LXVIII.

HEu, cave. Nulla tui Pietas capit? Ire per omnes
Pœnarum mens eſt, heu, tibi, Koſtka, modos.
Pone modum. Te longa terunt jejunia: condis
Sæpè diemque tuis, his ſatur, in lachrymis.
Ah quoties pernox, expers undæque, cibíque,
Intremis in nudâ, tu quoque nudus, humo.
Sævus es, an pius? Ars hæc vix tua cognita paucis.
Quòd ſe odit, cauſam quærimus? Eſt, quòd amat.

Id. Epigram. LXIX.

Nulla tibi morum labes: eſt Criminis expers
Virginitas: Maculæ neſcia vita tibi eſt.
Ergò, conſertis præduro in tegmine villis,
Quid tenerum lacerant aſpera texta latus?
Quid torto te ſæpè feris in vulnera flagro?
Totus & ipſe tuo in ſanguine, Dive, natas?
Omnis in innocuum caput audet forma dolendi: &
Culpa, dolor quam in te puniat, omnis abeſt.
Candidus ex rubro color anne arridet? Jèsu
Nempè, idem. Quantum eſt hinc tibi, Koſtka, decus!
Sic alios ſcelerum vindex Metanæa cruentat,
Et Pudor: unus te membra cruentat Amor.

Id. Epigram. LXX.

Quid cauſæ tantùm te odiſſe eſt? Lapſa cöëgit
Ulciſci nullum te tua vita nefas.
Noſco equidem, tua quæ nam ſit Mens: Scilicet, ut te
Oderis, eſt labi vel potuiſſe ſatis.
Dive, malum labi quantum foret, indè tenemus:
Tantum, ſi labi vel tibi poſſe, malum eſt.

Præ-

Præcipua in Deiparam Stanislai Pietas, Amor, & Cultus. Indè dum Antiphonam, Salve Regina, cantarent, toto sublimis corpore à terra rapitur.

Epigram. LXXI.

CÆlicolum Reginam ut musica Turba salutant:
Atque piam supplex in sua vota vocant;
Kostkius ad magnæ laudum tot nomina Matris
Hæret, & attonitâ se sibi mente rapit.
Nescius ipse sui, stat humo sublimis: amatæ
Raptus ab accenso Virginis igne calet.
Fur proh quātus Amor! Quæ vis tua! Corpora amātū
Iam rapis? An cor est non rapuisse satis?

Ex desiderio videndi, evectæ ad Cœlum Deiparæ gloriam, mori petit: & sequestro ad id obtinendum D. Laurentio M. utitur.

Epigram. LXXII.

DIve, triumphales præfers qui nomine laurus,
O ades, ò votis sis bonus ipse meis.
Lethi rumpe moras: Longæ quid tædia vitæ
Usque feram. Hæc oculis sunt inimica meis.
Proxima Virginei vocat en jam Pompa Triumphi:
Est mihi nec fas hanc cernere, ni moriar.
Ut cernam, ah moriar. Tantâ præ luce, dici
Ista dies, lucis lux habet ista nihil.
Teque mei tangat Pietas: Quique arseris, unus
Quid sit Amor, potis es nosse, quid & patiar.

Id. Epigram. LXXIII.

Si risisse tuos tibi fas, quibus ureris, ignes,
Laurenti; Cave, nè riseris ipse meos.

Uri-

Urimur; & meus haud hic se capit æstus:ut Ignis
Vim sit,qui ferat: at nullus Amoris erit.
Ergo,mori,cum,Dive,tibi contingat ab igni;
Possum ego num tanto non ab amore mori?

Stanislai morbus planè mirabilis; quo licet levissimo, tandem obit.

Epigram.LXXIV.

DIve, solo haud raperis;sed te rapis ipse:Juventa
Vernat adhuc:letho ac præcoce spontè peris.
Namque suo non te petiit Mors improba telo:
Attulit aut Morbi vis violenta necem.
Hoc parère fuit: Juvenem nam jussa vocantem,
Decerpsit blandâ, blandior ipsa, manu.
Esto aliis, ægri vt valeant, miraculum:at istud,
Corpore cum valeas, ut moriare, tuum est.

Id.Epigram.LXXV.

Kostkiaden jam summa vocat lux:ultima certi
Jam Lethi febris prævia , membra premit.
At saliens id vena negat tentata: Medentûm
Tam leve deridet docta Caterva Malum.
Falleris; & validæ primo ævi flore Juventæ
Noxia vis haud hæc vel superanda,venit.
Nulla est huic medicina Malo,nullusque Machaon:
Et si vis,qui sit noscere Morbus,Amat.

Stanislai Mors ab omni parte beata. Ac primò quidem eâdem occidit die, ac horâ, quâ Deipara in Cœlum evecta est, ut petierat.

Epigram.LXXVI.

TE, quâ Diva Parens meritis sese intulit Astris;
Hæc eadem nostris extulit hora plagis.

H oe-

Hoccine, Kostka, mori? An vitæ melioris origo est?
Sic cadit, à victo funere quisquis ovat.
Ergo triumphales (patet en via) scande Curules:
Virgineis palmas addere, perge, novas.
Consortem vult esse sui te Diva Triumphi.
Credibile est, sine te non placuisse satis.

Adest morienti cum SS. Virginum Choro Deipara.
Epigr. LXXVII.

KOstkiaden & adesse tuo vis, Diva, Triumpho:
Nec te Kostkiaden vel sine teste mori.
Ipsa ades: ipsa oculis mortem visura Clientis:
Mors quoque Kostkiadæ, nempè, Triumphus erat.
Olli libratâ benè sic vice pendis amorem:
Illius & palmis ipsa ades: ille tuis;
Impare sed studio: studio namque impare amatis;
Indè, reor, placuit plus tibi Palma minor.

Id. Epigr. LXXVIII.

STANISLAE, tuis quæ se spectacula pandunt
Pulchra oculis! pulchrum plus habet Æthra nihil.
Ipsa Poli Regina, Parens quoque Numinis: ipsam
Intactâ sequitur Virginitate Chorus.
Os illi roseum, stellataque Cyclas: amantis
Quo beat ore oculos, qua face corda cremat.
Quantus eras! Morimur, Cœli quò celsa petamus,
Omnes: te Cœlum, quò moriare, petit.

Id. Epigram. LXXIX.

E Terris abeunti, Æthræ de cardine venit
Diva Parens, niveis associata Choris.
Virgineæ stipant Comites: micat illa; minores
Cynthia nocturnas ut solet ante faces.
Sat vidisse: Suos ultrò tunc clausit ocellos.
Hìc olli posthac cernere nam quid erat?

Omnia forduerant hac visâ: Credidit, uno
Quid melius, viso cernere posse Deo.

Id. Epig. LXXX.

Ultima Kostkiaden, nec jam reditura vocabat;
Languentemque thoro straverat atra dies.
At subitò atrati maculam, nomenque diei
Exuit; haud radiis aurea visa suis.
Nam decumbenti, nitidis sociata maniplis,
Visendam Superûm se dedit alma Parens.
Desiit ac tandem sic vivere. Fallimur: ævo
Functus sic cœpit vivere Kostkiade.
Hoc mihi si letho defungi fortè licebit;
Vita abeas: sic est vivere posse mori.

Id. Epigram. LXXXI.

STANISLAE, jaces letho jam proximus. At cur
Virgineo moriens cingeris à cuneo?
Et nivei Dux Virgo Chori delapsa, jacenti
Has tulit Ætherii candida Veris opes.
Nempè, tui multo igne calens; cui lilia pasci
Inter jam dederat, dat quoque posse mori.

Moriens manu tenebat cum Deiparæ Imagine Cereum Sacrum accensum.

Epigr. LXXXII.

DUm moreris, Magnæ te Matris ab Icone munit,
Sacratâ & precibus te face, Kostka, Manus.
Mergimur in noctem, ut morimur: demersaque vita
Naufragat. Heu, tumuli frangimus ad lapidem.
Quàm melior tibi sors! Tanto procul ipse periclo es.
In manibus Tabula est: est tibi, Kostka, Pharus.

Id. Epigr. LXXXIII.

Quorsum hæc, quæ sacro fax emicat igne? Satis ne
Haud tibi, quam moriens Icona dextra tenet?

Dicebas moriens (memini) Meus ignis in istâ est:
Pagina & illa meum, credite, lumen habet.
Ergo, pone facem: una hæc par est omnibus Icon:
Quæque tibi Tabula est, hæc erit ipsa Pharos.

Id. Epigr. LXXXIV.

Ponere utramque tibi morituro, *Kostkia*, fas est.
Icone quid nam opus est; est ubi Prototypon?
Immò utramque manu simul est par jungere; namque
Hæc tibi inocciduum parturit umbra diem.

Id. Epigr. LXXXV.

Quos dabat amplexus, Sacræ quàm blanda Tabellæ
Figebat moriens oscula Kostkiade?
Non sic mellis amor, libatum roscida florum
Pascua, pæstanis collibus urget Apes.
Gaudia delibans prædulcia, totus in ore est;
Osculo in ipso animam ponere dum properat.
Nil aloës habet ista sui Mors: Mellea tota est.
Hinc est, dulcè adeo quòd tibi, Dive, sapit.

Mortuus, eodem omninò Formæ flore, ac venustatis, perseverat additâ oris mirâ quadam ridentis specie.

Epigram, LXXXVI.

SIc tibi dulce mori, Mors ut vestigia nusquam
Ulla, vel exanimo, liquerit illa sui.
Oris honos idem, est eadem tibi forma superstes:
Teque tui en abiit, Dive, abeunte nihil.
Non secus ac molli flos lectus ubi ungue Puellæ;
Cui nitor, & vivax gratia durat adhuc.
Hoc ne mori? Quæ Mors hæc est, qualisque; videri
Cui nec, ni vitæ se tegat ore, licet?

Id. Epigr. LXXXVII.

Non hoc, Dive, mori: Est Animus nam funeris expers:
Mors quoque de spolio nil habet ista suo.

Abstinuitque manus, in te nil ausa. Abiisti
Corpore, ut intacto quis solet hospitio.
Est color, est teneri decor oris: & ipsa carentis
Luce hac, lux oculis vel propè vivit adhuc.
Nec mortale tui potuit Mors perdere; Morti
In te non poterat, Kostka, licere minùs.

Id. Epig. LXXXVIII.

STANISLAE, parum est, quòd adhuc tibi florida vernet
Forma; vel obriguit sæva ubi mortis hyems?
Amisitque suo tua nil de flore Venustas:
Kostkius idem es & à funere, qui fueras.
Lætus ad hæc; tacitisque doces ridere labellis,
Egelidum tristi funus & in pheretro.
Sic quæ vel cunctos sternit formidine; Soli,
Dive, tibi Mortem vincere Risus erat.

Id. Epigr. LXXXIX.

Quæ lachrymas sæva ciet his quos falce peremit;
Mors uni risum quid tibi, Kostka, movet?
Insultas victæ? muto ridensque cachinno,
Huic quantum victor, Dive, moves stomachum?
An potiùs laxas os risu; nempè caducis
Irrides abiens rebus, ut Astra subis.

Id. Epig. XC.

Kostkiaden cernis lethi jam falce peremptum:
Nec lethi propè sic falce peremptus erat.
Est prior ore decor suus, & sua gratia fronti est:
Vivit in exanimi corpore forma prior.
Seque regit pulchrâ florentis imagine vitæ:
Tectaque Mors num sic ludere vult oculos?
Proh quantùm Morti licuit! cui credere? Verum,
Quove docente, potes discere? Mors simulat!

Id. Epigram. XCI.

Pulchra aliis passim vita obtigit: illa sed uni,
Omnia quæ fœdat, Mors tibi pulchra venit.

Nascentemque, suo qualem de viscere Mater
Fuderat, extinctum funeris urna capit.
Triste etiam vultu Funus quin Risus amænat:
Et suus exanimi vernat in ore lepor.
Dicebam: Rebus, Mors, quæ larvam exuis, una es:
Si larvam quoque, Mors, induis; heu, perii.

In Pheretro, multis floribus præter morem constrato, effertur.

Epigr. XCII.

STANISLAE, tuum quid vivo flore pheretrum
Insternunt? Flos an non satis unus eras?
Flos non unus eras: Nam qui flos unus, odorum
Cui vis, quâ Pæsto nil olet Urna minùs.
Ergo, alii spargant tumulo, Pæstumque pheretro:
Tu Pheretro, ac Tumulo tu tibi Pæstus eras.

Ejusdem omnino pulchritudinis, ac integritatis habitu, non secus ac si dormiret, supra biennium à Morte, repertus est in sepulchro.

Epigr. XCIII.

FOrma bonum, quo non aliud velocius ullum
Evolat, heu, miserum temporis & spolium!
Kostius at non sic: ipsâque superstes in urnâ,
Non sibi, vel sævo funeris ungue, timet.
Ipsa, vides, vivax elusit fata: sepulto
Pande oculos; mox is vivet, ut evigilat.

Id. Epigram. XCIV.

Nulla quid exanimo Tabes? formæque supersint
Tot Veneres? Fuerat vivo inimica Venus.
Vixerat Ætheriis par Mentibus, ac propè totus
Mens: hinc Kostkiades, quod voret Urna, quid est?

Id. Epigr. XCV.

Sat tumulo poſt fata diu jam conderis:in te
Quàm pius! En tibi nil vel nocuit tumulus.
Fit domus Urna, thorus fit & Arca jacentis: in urnâ
Mollè cubas;dulcis Mors tibi ſomnus erat.
Sic cui Mors habuit Mortis nil;indè ſepulto
Doctus huic Tumuli nil habet & Tumulus.

Odorem planè admirabilem ipſo è ſepulchro latè Stanislaus effundit.

Epigr. XCVI.

QUàm benè,dicebam:Tumulus te,Dive,jacentem
Claudens,nil Tumuli,nil habet ille ſui.
Exuviis hic namque tuis quò parceret,ipſam
Ferre famem lethi juſſit & ingluviem.
Nec ſatis: undè lues, & naribus undè Mephitis,
O quis odorati ceſpitis halat odor!
Sic ubi de Tumulo, longus licet incola,nil tu;
Ipſe ſuo Tumulus de Hoſpite totus olet.

Id. Epigram. XCVII.

Non ita ab inciſo redolent opobalſama trunco:
Non ita odoratæ Mercis onuſtus Arabs;
Parva ut, Koſtkiadem quæ continet,Arcula;Buſto
Facta ſuo felix Arcula, odora ſuo.
Vitæ alios commendat odor bonus. Exanimem te
Tàm bonus à tumulo vel comitatur odor.
Quàm multos meritis, Cœlo vel teſte, præibas!
Cum malè quiſquis ubi, tàm benè ſolus oles,?

Id. Epigr. XCVIII.

Hinc, ubi tam parvo tumulatur Koſtka ſepulchro,
Tota flat ex imo fornice Seplaſia.
An quas horrebat vivens; à funere odoras
Has amat, has quærit naribus illecebras?

Fal-

Falleris. Hæc operi merces:quòd fugerat; indè est:
Hinc habet has, Cœlo judice, delicias.
Sic fugisse juvat: fugienti gaudia namque hìc
Incipiunt; alios cuncta ubi deficiunt.

Officulum soluti iam Sacri Corporis furatus quispiam; ex odore,per totam domum diffuso,deprehensus, cogitur loco reddere,

Epigr.XCIX.

QUisquis es,Officuli Prædo pius, accipe, quisnam
Thesaurus,parvo quantus in osse latet.
Nam pretio nec bacca pari tumet: educat Altrix
Quam Thetis,eöas ditior inter aquas:
Flore licet Roris, rorantis, & ubere lucis.
Creverit in saxi viscere, Gnata Maris.
Discere vis,dispar quam his Sors,& Gloria?Kostkæ
Ossa dabunt Cœlo Sidera,bacca solo.

Id.Epigram.C.

Ibat,ovans sibi & ipse suâ satis arte, rapinâ
Sat locuples:tacito condideratque sinu.
Spe tamen ecce suâ quàm falsus! namque rapacis
Præda viri elusit vota,dolosque, manus.
Sic totâ mox indè domo se fudit odorum
Copia, quæ furem prodidit ipsa suum.
Amisitque, reum se fassus spontè, rapinam:
Qui cœpit,prædâ captus & ipse suâ est.

Id.Epigr.CI.

Et Reus,& Pius,ò Sancti fur Fragminis,idem es.
Si quod erit, scelus hoc,quis neget,esse pium?
Non auri te sacra fames; Amor impulit, æstu
Ipsa suo Pietas ad pia furta manus.
Indè, reor, miro te prodit odore: Rapinæ
Fit sua sic furi gratia; pœna pio.

Si Reus es furti, plectit te Pœna Pudoris:
Si pius, ætherius sat tibi pensat odor.

Id. Epigr. CII.

Frustra est: occultâ clausam quid condis in arcâ?
Clausa suo unà cum fure rapina patet.
Quî lateat? quî seque tegat? Rem quisquis odorat;
Si suus hanc, lateat res ubi, prodit odor.

Id. Epigram. CIII.

Plecteris? an rapti Fur ossis odore juvaris?
Te juvat is, qui te num quoque plectit odor?
Raptorem sic Kostka sui monet: utque doloris
Expers sit, facti pœna sit una, Pudor.
Quin ipsum ambrosio sat sarcit odore Pudorem:
Vel cum se Divûm vindicat ira, juvat.

Inter Miracula Stanislai in Cœlum recepti, Pauli Fratris ad Deum conversio, vitæ, mortisque Sanctimonia iure merito apponenda. Placet igitur aliquid ea de re hic degustandum apponere.

Epigram. CIV.

VT tua Te Virtus evexit ad Astra; priores,
Dive, simul Frater desiit ire vias.
Hos & amat mores, in Te quos oderat: odit
Quos & amarat: se vel Cane pejus habet.
Nuda breves dat humus gelido vel sidere somnos:
Evigilat, medium Nox ubi torquet iter,
Inque preces, in flagra, fluens quemque unda cruentat
Sanguinis; hunc pluviæ sponte lavant lachrymæ.
At simul orta dies: multusque ministrat ad aras:
Mox ægris famulam Dextera præstat opem.
Ille Palatini flos Germinis: ille Polono
Admotus sceptro sanguis & ista patrat!

Sæ-

Sæpè manus inopum, flexo quin poplite, turpes
Affusâ lavit Najade, sæpè pedes.
Facta luens, adeò Virtus sese extulit. Isthæc
De primâ probitas improbitate venit.

Id. Epigram. CV.

Nulla videt Te non lachrymis Nox, Paule, fluentem
Sanguine, sideribus nulla oculata suis.
Unaque Mors fletus, tersura est una cruorem;
Sera licet canum Te metet illa senem.
Peccaras: oculis Fratrem æquis cernere nunquam;
Sæpè etiam fuerat culpa ferire manu.
Hinc lachrymæ ex oculis, cruor hinc à verbere: Vin-
Par hæc pœna tui criminis una foret. (dex

Cælibatui perpetuò se addicit, vel unus Kostkii sanguinis superstes.

Epigram. CVI.

ILlecebris Te, Paule, Nurus formosa maritis,
Te, sua non missum sub juga, vinxit Hymen:
Sed Pudor, & sancto nunquam violanda Pudori,
Cana Fides: vacuo quæ cubat una thoro.
Non Te cura, Nepos nullus licet indè superstes,
Quò tua Stirps vivat Kostkia, & ulla tenet?
Hæc, ais, hæc mea cura, Deo quò Kostkia mecum
Sacra eat, emoriens totaque Progenies.
Kostkium inocciduo Nomen sic vixerit ævo.
Non cecidit, quisquis, credite, sic cecidit.

Rebus

Rebus omnibus Deo dicatis, quà sacris locis ædificandis, quà Ægrorum, Inopumque miseriis sublevandis; se demùm Societati Iesu addicit.

Epigr.CVII.

EN aliis dives, Tibi Pauper, Paule, sed uni es:
Cui dat olus mensæ, fercula, Terra thorum.
Lautiùs ipsa diu cœnat jejuna, laborem
Pauperies post, vel molliùs ipsa cubat.
Templa Deo, miseris nova ponis & Atria: Regum
Est tibi Cor, Cordi par propè larga manus.
Das aliis, Tibi quæque negas: cumulata reponit,
Nempè, suas qui sic spargere novit opes.

Id.Epigr.CVIII.

Stanislae, premit tua sic vestigia Frater;
Æquè habitu, ac Tete moribus ut referat.
Qui sua, se tandèm dat jam quoque Paulus Jesu,
Te pia Lojolæ certus ad arma sequi:
Nil sibi, nec sese retinet: nempè, omnia Christo
Nil qui, ni sè post omnia, & ille dedit.

Moritur Paulus Idibus Novembris, quibus post annos quamplurimos Stanislao annua solennitas fortuitò Romæ decreta.

Epigr.CIX.

QUæ Tibi, Dive, dies festo litat annua cultu;
Hæc Paulo amissæ lucis & illa fuit.
Et tua fraterno cum funere gaudia misces?
Inferias etiam vertis in Hilaria?
Jure, ais, hæc mihi festa dies. Non vivere Frater
Desiit hac meus: hac desiit ille mori.

Id.

Id.Epigr.CX.

Desiit ille mori, cum vivere desiit: Isthæc
Vita quid ah veræ non ea mortis habet?
Vivimus in terris morituri . Non satis : Usque
Nam morimur: Vitæ pars quota morte caret?
Morte sua quævis constat pars: mortibus immò
Pluribus una; hæc dum est,pars erit,illa fuit.
Dicta fluens Mors jure Sophis: ea,nempè,superstes
Quæ propè nil vitæ, plurima mortis habet.
Hinc pro natali Lux hæc mihi festa . Revixi
Tunc ego; desieras Ipse ubi, Paule,mori.

Pauli corpus per totam noctem iacens in Pheretro , Cœlesti luce,ut ferunt,circumfunditur.

Epigr.CXI.

GRande jaces Fati spolium dum,Paule;jacentem
Te super, obscuro lux licet Axe, venit .
Teque,tuum niveo pheretrum quoque vestit amictu:
Hic decet hæc hilaris funera,nempè, color.

Id.Epigr.CXII.

Exanimem dum lapsa Polo lux induit;inde
Nata loco, invitâ nocte,repentè dies.
Hæc eadem fati lectum ferale coronat:
Et sua dat Paulo lumina ad Exequias.
Quantus erat,cui curat amans has Æthra ! sepulchri
Non poterat pompâ splendidiore frui.
Stanislae, tuum hoc fuerit: nam ad funera Fratri
In terris propior sanguine nullus erat.

FINIS LIBRI SECVNDI.

EPIGRAMMATON
LIBER TERTIVS

Argumentum.

D. DOMINICA
VIRG. ET MART.
Tropææ Civis, ac Patrona.

CAve sis, quam postremam loco vides hìc, Lector, eam pariter existimes merito. Sexus conditione infra est, non animi virtute. Par viris fœmina: & ipsa inter Davidis nostri, hoc est, Jesu, fortes, una ex fortissimis: vel indè suprà viros evecta, quà admiratione, quà laude, quòd, scilicet, viros æquarit Mulier, & Puella. Quid ad hæc Rex ille Sapientum, & Regum Sapientissimus Salomon: cui visum adeo operosum, arduumque unà coalescere Mulierem, & fortitudinem; ut vix una, toto terrarum Orbe quæsita, reperiri possit, vel citra miraculum, vel

vel nõ ultra pretium*. Age jam, DOMINICA, in medium prodi; atque unà in te videat, & suspiciat, non modo cum Muliere, sed cum Puella fortitudinem coaluisse, hoc est, cum gemina fragilitate, sexus alterâ, alterâ & ætatis. Sexus, atque Ætas, duplex tibi quodammodo fuit hostis, quem vinceres; duplex, quo vinceres, animi tui robur: adeoque laureâ non simplici donanda, quâ promerito triumphares. Parũ hoc est. Vicerit Mũdum IGNATIUS, STANISLAUS Ætatem, DOMINICA Sexum: Sed hunc ita tu vicisti, ut in Sexu Mundum quoque viceris, & Ætatem. Quasi verò vel tota fortiũ Triade una, absit verbo invidia, Puella constes; vel totam Fortium Triadem una confles. Te sibi in filiam jure adoptionis Diocletianus, te Cognato in Sponsam una venustatis dote, si Diis thus offeras, Maximianus; ni pareas, te flammis, te feris, te suppliciis omnibus destinant. Proh quantas honorum illecebras Mundus adhibet, ut te capiat! Quot cruciatuum minas, ut terreat! Sed tu eodem constantiæ vultu, hoc est, tuo, æquè blandimenta despicis, ac supplicia: animumque gestans majorem Mundo, nulli rerum amori pates, aut timori. Vel cum te pedibus dedère Carnificum conculcandam, Cæsarum capita tu calcabas. Te baculis contusam, nervisque laceram voluere; ut sic, cum toto è corpore sanguinẽ, voculam ex ore, aut suspirium dolentis exprimerent: Sed frustrà. Te de trabe crinibus suspendunt; at tu sic meliùs didicisti infra te habere omnia. Impavida Rogum ita intrasti, ut Te ignis etiam expaverit. Exarmasti urendi vi flammas, immanissimas belluas immanitate. Ipsum Jovem suo in Templo, hoc est, hostem suis in castris aggressa, dejectum voluisti sputo; nè quid deesset vel vin-

Mulierem fortem quis inveniet? Procul & de ultimis finibus pretium eius. Prov. 13

vincenti ad gloriam, vel victo ad pudorem. Hæc fœmina, hæc Puella. O Fœminam! O Puellam, vel fortissimos inter viros sibi primam fortitudinis laudem, & lauream vindicantem! Ades dum, DOMINICA, inter Davidis Fortes, non modo coronanda, sed futura Davidis quoque Fortium Corona.

Porrò quæ de S. Dominica narrat Vates, ex quibus hauserit Scriptoribus, habes Lector, in eiusdem Divæ Vita, quam Neapoli typis dedit idem Author. Ann. Domini 1691.

Tropæa, Vrbis D. Dominicæ Natalis, Laus.

Epigram. I.

HErcule de magno* caput effers, inter & Urbes
Haud parva Urbs: Magni nam Genitoris opus.
Ille Gigantæo referens fessa arma Triumpho:
Hìc meus, Armorum hìc otia, Portus, ait.
Herculeæ natam Laurus, Laurusque renatam
Scipiades (tulit has Africa victa)* tegunt.
Augustisque auxit spoliis* te Cæsar, & armis:
Ad Vaticanos *quæ rubuere sinus.
Hinc tibi Mars Numen* Comes hinc & Adorea Martis
Usque: triumphale hinc Nomen, & Omen habes.*
At licet hac triplici Genitorum laude beata es;
Te magis, ex te quæ nascitur, una beat.

Parentum D. Dominicæ laudes.

Epigram. II.

NObile Par, nexu junxit quos ante marito
Ipse Deus: queis nec Nomina *laude vacant.
Hi cum vulnificis horrere nt omnia dumis;
Florebant parvo lilia culta solo.
Cùmque suis sat furva alis cuncta obtegeret Nox;
Lucebant nigro Sidera clara Polo.
Occiduis tandem radiis cecidere: cadit Sol
Purpureus qualis lampade mersus aquis.
Quem Christo fudere, Cruor tinxit: meliora
Non poterant vitæ præmia ferre suæ.
Quærere qui fuerint, jam desine: namque Puellam
Hanc meruisse, hoc est vel tibi nosse satis.

Id.

* *Const. Lasc. lib. de Ill. Calabri Philos. Alicar. pr. hist.* * *Lasc. ib. Cresc. m. s. aliiq;* * *Sex. Pomp. hic navali prælio victus.* * *Cres. l. c. aliique.* * *Δωρόθεος i. donum Dei. Εὐσέβεια i. Pietas.*

Id.Epig.III.

Hanc sibi vel meruisse Patres, sat gloria magna est:
Factaque propitio vota tulisse Polo.
Major at est talem fecisse: paremque Puellam,
Quam tulit, haud Cœlo reddit uterque Parens.
Grande licet munus; majus tamen illa Parentum
Est opus. At Cœli est hoc quoque Munus opus.

Diu Steriles à Deo Prolem impetrant.

Epigr.IV.

PRole diu steriles, longo fastidia luctu
Ducebant, vacuo gaudia nulla thoro.
Nullaque spes Gnati pendentis ab ubere Matrem
Oscula, nulla Senem carpere posse Patrem.
Supplicibus Divos votis, lachrymisque fatigant:
Est sua vis votis, vis lachrymisque sua est.
Quindenos Sol postquam orbes confecerat, salvo
Intumuit dulci pondere Mater anus.
Tantæ molis erat Te gignere, Diva: minori
Non poterat pretio Te meruisse Parens.

Id. Epigr.V.

Tantane Gnatorum incessit malè sana Cupido;
Lumina quindenni deterat ut lachrymâ?
Scilicet, est hic Amor Generis: serosque Nepotes
Cernere, vel gelidos hic Amor urit Avos.
At non hæc Sacras tangunt Contagia Mentes:
Hæc versasse animo vilia sensa pudet.
Pignora amant, quæruntque; sui quò sanguinis imber
Pro Christo, & rivo largior unda fluat.
Nāq; mori semel haud satis est: Amor ampliùs audet,
Fundere in alterius sanguine posse suum
O Amor! ò Pietas! ò non sua vota Parentum!
O nimiùm votis vota inimica suis!
Longiùs ut vivant, Gnatos cupere omnibus est mos:
Hi cupiunt, liceat quò sibi sæpè mori. *Pa-*

Parentum Vota.
Epigram.VI.

PRo te dulce mori est sic; solis, ò bone Jesu,
Penè ut pro te non sit quoque dulce mori.
Neu soli moriamur: amarum neu sapiat Mors
Tam dulcis, Comites protinùs adde necis.
Sunt nobis Tædæ steriles, vacuumque cubile,
Est longus, nullo Pignore tristis, Hymen.
O tibi sæpè litem nostro de sanguine! Matri,
Fas quoque sit Gnatos jungere, fasque Patri.
Sic vivax ævo Proles, aliisque superstes
Sit: mihi sed, mecum quæ moriare, veni.

Die Dominico D. Dominica nascitur.
Epigr.VII.

DIcta Deo rerum Domino, rerumque Potenti,
Lux aperit vitæ cur tibi, Diva, fores?
Hæc eadem Christo redivivæ gaudia vitæ
Restituit; Lethi lux aperitque fores.
Conveniunt Sponsæ cunæ, Sponsique Sepulchrum;
Utraque, nempè, unâ quòd patuere die.
Et benè: Vixisti Virgo, quia & ille revixit:
Omnibus hoc tumulo vita parente venit.

Ex natali die nomen habet.
Epigr.VIII.

NAtalis, quæ prima tuos lux attulit ortus,
Diva, tibi nomen lux eademque tulit.
An nata Imperio Rerum es, Sceptrisque regendis?
Sceptra sonat, quòd habes Nomen, & Imperium.

At dolet, & querulo mea miscet Apolline luctus
Musa suæ haud est vox quòd satis apta lyræ.
Nempè, ea vinciri renuit vel carmine? Nomen
Imperiale pati vincula nulla decet.

Parentes Christo filiam devovent.
Epigr. IX.

DUcere vitales Virgo vix cœperat auras:
Luce recens oculos imbueratque dies;
Cum Genitrix, Genitorque, pari pro Pignore voto,
Auctori acceptum reddit uterque suo.
Extemplò sacrant Christo: desponsaque ab ortu
Ipsa suo est: & adhuc parvula, nupta Deo.
Sic est: hic magnus generosi pectoris hospes
Est animus, meritam reddere velle vicem.
Sensa hæc haud nostis viles animæ. Ilicet, hoc est,
Ut des, accipere: hoc, non dare, ut accipias.

Seipsa devovet Christo.
Epigram. X.

DIva, maritalis quæ flos ades unicus horti:
Serus es, & multo frontis ab imbre venis.
Heu quid, jurati servantem jura Pudoris,
Te patitur Mater, te patiturque Pater?
Tu sterilis spes una thori es: Te Virgine, uterque
En totus moritur, stirpe cadente, Parens.
Reddere & hoc Cœlo simul est cum Prole Parentes:
Dante Polo, unam hoc est vivere, tresve mori.

Ado-

Adolescit, pari venustatis, & pudicitiæ laude insignis.
Epigr. XI.

QUanta Pudicitiæ, ac formæ lis! scilicet, illa,
Sic cecinere, Procos abstinet: ista trahit.
Non sic flos Apibus, tantos non afflat amores,
Arcano chalybem qui rapit igne, lapis.
Pyxis odora minùs Muscarum examina cogit:
Et rapiunt Fucos non sua mella minùs.
Forma Pudicitiæ vel peste nocentior: ipso,
Quem peperit, blando perfida amore necat.
Mira hæc, sed tua; Tu formam, Virgo, una pudicam,
Formosamque jubes esse Pudicitiam.

Sponsum Principem reiicit: à quo ad Diocletianum defertur.
Epigr. XII.

SAcra Deo tædas Virgo est exosa jugales,
Mille petita Procis, mille negata Procis.
Fit furor hinc despectus Amor: furit ultor in iras:
Aurea quòd sprevit flammea, vincla parat.
Ponè Feræque, Rotæque, Ensesq; sequuntur, & Ignes:
Tot subit immeritas una Puella neces?
Tantum Amor, heu, odium potuit peperisse! Puellæ
Lilia, quid mirum, si peperere Rosas?

Vincta unà cum Parentibus in Campaniam abducitur.
Epigr. XIII.

VIncta catenatis quò nexibus exulat? heu quò
Præduro teneras it gravis ære manus?

Durior.it lateri Lictor Comes: aspera plantas
  Usque puellares & via longa terit.
Campanis nova lux, Calabris nox at nova Terris.
  Exoritur. Patriæ quanta dies moritur!
Quid ni aliò migret? Virtus nam tanta, Venustasque
  Uno non poterat tanta latere loco.

Multimodis ad Idola colenda à Diocletiano incitata; vel ipsam Imperatoris adoptionem reiicit.

Epigram. XIV.

MEne Diis dare thura? Auræ tua, Cæsar, eoum
  Impia velivolæ trans mare vota ferant.
Vota ferant, & dona. O quis latet anguis in herbâ!
  Et quæ sub pulchro toxica flore tegis!
Nec me blanda, tuo nec florens Purpura tergo,
  Quodque micat capiti, vel diadema capit.
Gnata ferar tua? Quæ de sanguine Purpura floret]
  Pulchrior: hæc me quàm dulcia vincla juvant!
Spernere & ipse doces, quæ donas. Munera quāti hęc,
  Quæ, si pauca cremem thurea grana, feram?

Diocletiani Minas, ac verbera ridet.

Epigr. XV.

FUnera inhumanus minitatur Cæsar, & ignes;
  Ni cultu Idolis supplice Thura ferat,
Pernegat illa: Et me me, inquit, non territat Ignis,
  Aspera nec Mors. Me Cœlicus urit Amor.
Sternitur indè solo, pede pressa, & verbere multo
  Scissa: audetque magis, quò furit ipse magis.
Insultatque ultrò pœnis, ridetque Tyrannos.
  Proh Virtus, quæ tot depulit una metus!

Vi-

Vicerit ut pœnas; magis est vicisse timores:
 Maxima pœnarum est,non modo prima,Timor.

Id. Epigram. XVI.

Fuste quid,ah,duro teneros malè tunditis artus?
 Si quis honos formæ est, parcite,siquis amor.
Non sic Ætna suo ferit, æs dum cudit in antro;
 Formidata solo Tela datura Jovi.
Mitior æstivo durata sub axe ruit nix:
 Mitior æquoreas verberat Auster aquas.
Virgo immota stat. Implet cor nam Mascula Virtus?
 Mascula fœmineos vis animatque sinus.
Infractique animi vel fracto, in corpore,tantùm]
 Expuet; & vestros conteret ulta Deos.

Exilio mulctati Parentes, abstrahuntur à Filia.
Epigram. XVII.

IMprobe,quid Gnatam,Cæsar, Gnatæque Parentes
 Abripis?Heu, vitæ dimidiumque suæ.
Invenit feritas, animam quo torqueat ullo haud
 Vulnere,dum pœnis admovet ingenium.
Raptantur per longa soli discrimina, Cœlique:
 Atque ipsa Exilii præ nece Pœna furit.
Est animæ hoc vulnus: vitâque superstite, vivax
 Exulibus durat, perpetuusque dolor.
Nempè, hinc desertæ facilis tibi Palma Puellæ est?
 Qualis carnivoris Agna relicta Lupis.
Ast hinc Palma minor: solâ vincique Puellâ
 Major,ab invalido est ut cecidisse,Pudor.
Vicit io, non victa illa est: spe falsus inani,
 Et qui jactabas vincere, victus abis.

Capite plectuntur.
Epigr.XVIII.

EXul uterque procùl patriis insederat oris;
Euphrates multa qua meat Amnis aqua;
Cum subitò exilium nex excipit. Illa repentè
Extorres sequitur, nec meritosque premit.
Risit ad hæc: ferrumque libens admisit uterque:
Mors,ait,hæc nobis pars quota Mortis erit?
Cum raperent nostro Gnatam amplexu,ulla Superstes
Vita fuit? Jam tùm, scilicet, occidimus.

Id.Epigr.XIX.

Purpureas Sacro Euphrates dum sanguine ripas
Aspicit; it tumidis unda superba vadis.
Ac te,Nile Pater, Tigri,quique alluis Indos,
Ganges, cognato despicit amne pares,
Scilicet,hos uno fudit quoque ventre,quaterna
Prole, Parensque suo Terra beata solo.
Sorte pares fontis; non est par gloria cursus:
Sors, ait, hoc tingi sanguinis imbre mea est.
Hinc Paradisiacæ melior rursùm Accola Terræ
Reddor: eò redit hic nam Cruor, undè fluit.

Maximiano sistitur: a quo,ut Cognati nuptiis consentiat, pravis depravanda fœminis traditur.
Epigram.XX.

AH cave, blanditiis vincant, quam vincere pœnis
Desperant: Virgo,hic te,ah,nimis odit Amor.
Augusto desponsa Proco, fuge, quæ tibi Cæsar,
Moliturque tuæ bella Pudicitiæ:
Oppugnatque dolis. Duplex fraus fœmina duplex:
Una fores duplici fraude Puella minor.

Fal-

Fallor: erunt mira hæc : binos namque una Columba
Accipitres, binas vincet & Agna lupas.

Maximiani preces, ac munera constantissimè reiicit.
Epigr. XXI.

DIscite, quid pulchro veniens è corpore, possit
Gratia; quæ subitò tàm fera corda domat.
Atque ipsos rerum Dominos, Sceptroque potentes,
Forma premit, famulo colla superba jugo.
Vix te, Diva, oculis Cæsar libarat; & ira
Alget: Amor subiit quæ modò corda, furor.
Dulcè nitent oculi, ridet frons, mellea manant
Verba: sonant nullæ, quæ cecidere, minæ.
Nè damnet, Judex rogat, & damnanda rogatur,
Immatura neci nè velit illa mori:
Thura cremetque Diis. Stultè sed vincere, Cæsar,
Quam non vicerunt verbera, verba putas.

Iussu Maximiani nervis cæditur.
Epigr. XXII.

THura Diis quòd Virgo negat, cœco impete Cæsar
Mollia multiplici verbere membra secat.
Illa cruenta suo plaudit sibi clarior Ostro:
Instigatque truces ad sua damna manus.
At non sic rabidi, quæ luditur, Ira Tyranni:
Fit furor, undè sibi gaudia Virgo parat.
Sors dispar utrumque manet sua: fuste feritur
Hæc; haud fuste dolet: qui ferit, ille dolet.

Conculcata Lictorum pedibus, viso Iesu recreatur.
Epigr.XXIII.

TAntùm ne Impietas audet? Tam nobile vili
Carnificumque pede, heu, calcat inulta caput?
Et calcasse parum est: multo ferit Ilia pulsu:
Et malè ab inflicto calce Puella gemit.
Diversæ coëunt in mutua fœdera Pœnæ:
Ut cruciet, Dolor est; dedecoretque, Pudor.
At nè te pudeat; doleas nè Virgo: Pudoris
Damna hæc, crede mihi, nulla Doloris erunt.
Neu doleas, dulci en Jesus beat ore: vehèris
Mortua, neu pudeat, Cœlicolûm manibus.

*Id.*Epigr.XXIV.

Sternitur, indignoque pedum sub pondere anhelat;
Ægrè interclusam Virgo trahens animam.
Subsiliuntque, premuntque, terunt, & calce fatigant:
In tenerum, ah, sævè ludicra Planta latus!
Alternatque pedem, vitam expressura morantem,
Inque necem lusus instruit illa suos.
Tempus erit cum Cælicolùm hæc evecta Curuli,
Exuviis repetet patria tecta suis.
Tunc viles proh quàm alta humeris Cœlestibus ibit,
Mutatura, Polo vindice, Diva pedes!
His sibi sed placeat palmis evecta; premente,
Credibile est, illam hoc sub pede mallè mori.

In Campaniam Româ dum redit, Christum habet viæ comitem.
Epigram.XXV.

VIncta gradũ quàcunq; movet bona Virgo; viarũ
Ipse pedes, Jesu, Ductor es, ipse Comes.

De-

Deseris Astra, & rursùm hospes, rursùmque viator,
  Quam non perdideras, en quoque quæris Ovem.
Quantus amor! quæ tanta trahit vis! Immemor ultrò
  Penè Poli, Sponsæ tam propè Sponsus ades.
An Polus illa tibi, olli Tu? Par nobile amantûm,
  Alter, & alterius se propè ab ore beat.

Christum habet socium vel in carcere, vel ante Præsides.

Epigr. XXVI.

QUò te cunque feras, Virgo, seù Præsidis ædes
  Jus dicturi; te seu mage carcer habet;
Usque tuo præsto est lateri Patronus Jesus:
  Usque sequax socius, vel tua vincla subit.
Ergò age, neu timeas vel iniqui jura Tyranni:
  Vel quæ sub cœco te lare vincla ligant.
Hoc lis Patrono nam nulla amittitur: Aula
  Hoc socio melius nil habet ipsa Poli.

Christum, secum iter habentem, videt.

Epigram. XXVII.

O Quis amor! Sponsum Cœlo vel devocat: & se
  Dat vinctæ comitem; Sponsa ubi carpit iter.
Indè viæ nullus labor est: tractusque catenarum,
  Hanc Jesus roseo dum beat ore, levis.
Sic juvat isse, mori quoque sic: nam dulcior omni
  Vita est te, Jesu posse vidente, mori.
Mox vehet Aligerûm, lictorum quam trahit Agmen:
  Aliger, i: comite hoc, ò mihi Lictor ades.

Cri-

Crinibus suspensa, ad nudum admotis faculis cruciatur.

Epigram.XXVIII.

DE trabe vincta comas pendet, nudatur, & ardet:
Suppliciumque, heu! fert una Puella triplex.
Quis furor est, triplici simul unam tradere letho
Vitam? unà quid Trabs, Fax, Pudor arma movent?
Cætera si desint, Virgo occidit. Illa, pudore
Quæ sola offenso Mors venit, illa necat.

Id.Epigr. XXIX.

Et pudet, & dolet, & gemino Diva uritur æstu
Nuda, suo quam Fax, quam vorat igne Pudor.
At non igne dolet, non uritur. Ilicet, almos
Nuda sinus Virgo, quòd pudet, indè dolet.

Cum Mutio Scævola componitur.

Epig. XXX.

HAnc vel nosse manũ satis est, quæ criminis instar
Igne luit, nullum quod sibi crimen erat?
Inscia Mens hosti, non olli Dextra pepercit:
Non sua, cur Mentis crimina Dextra luat?
At nõ pœna: Tumor, Famæ hæc sitis improba: nempè
Romanum facere, & fortia quæque pati est.
Prisca tumes hinc Rôma? Novæ sed gloria major.
Christiadûm hæc patitur Virgo: Puella facit.

Eodem in supplicio, aspectabili Christi præsensia recreatur.

Epigr.XXXI.

HEu nulli prænota viro suspendia! Nullum
Supplicium, reor, hoc vel subiisse scelus.

Tor-

Torquetur vacuò sublimis in aëre Virgo:
Crine dolet Virgo pendula vincta suo.
Quam male! Quæsitus non hos est crinis in usus.
Quid laqueus Capitis cogitur esse decor?
Noxia Virginibus semper coma. Virgo caveto,
Es quæcunque:coma vel capis,aut caperis.

Id.Epigram. XXXII.

Crudelis! te vel Lybica Lea fudit arena:
Vel Tigris hircano pavit alumna jugo.
Quid teneram torques, suspensam è crine, Puellam?
Cogis & immeritam, vel sine morte, mori?
Nectitur in laqueum Crinis.Sibi pondere Virgo
Pœna suo est:eadem lictor & ipsa sibi.
Enecuisse juvat:Nex hæc productior: ipsâ
Supplicii major vel nece Pœna tui est.
Proh ferita s! Præ morte furis sine morte! Age Prætor
Jam nece,si mavis parcere, plecte Reos.

Id.Epig.XXXIII.

Diva,cruentato pendes quæ vertice; molles
Dant tibi supplicii vincula dura, comæ.
Supplicio at poteras vel pendula plaudere tanto:
Et poteras vinclis ire beata tuis.
Sponsus adest. Uno sponsi cor crine ferire
Consueras: Cœlo nunc quoque Crine trahis
Nec traxisse satis: nam Tu dum crine teneris
Pro Sponso; Sponsum sic magis ipsa tenes.

Id. Epigram. XXXIV.

Nam quæ te Pietas? Quis te nam, Christe, Tuorum
Urget Amor? Pœnis num Comes ipse venis?
Promissi memor an, pereat neu verticis unus
Crinis; vis,oculos ut cadat ante suos?
Quid facies cineri? Superûm num membra peribunt;
Si tibi vel vilis tam pretiosa coma est?
Jam sic tota cadat:felix jactura; capillos
Ah,modò tu numeres,deciduosq;leges. Id.

Id. Epigram. XXXV.

Poppeæ, ut perhibent, Crines Nero vinxit in auro
Deciduos, auro fila superba suo.
Addere, nempe, reor tanto voluisse metallo,
Et levibus pondus, vilibus & pretium.
At tua non gemmis coma, divite non eget auro:
Nam pretium, Virgo, hæc nã quoque põdus habet.
Quàm gravis est, totus cui sic benè penditur Æther!
Quæ Christo cadit, est sic pretiosa satis.

Id. Epigram. XXXVI.

Auro, si qua fluant capitis fila aurea, Cæsar
Uxoris, nodo divite vincta, ligat.
At tua, si qua fluant, sponsus Cœlo inserit: Astris
Nexaque, erunt nodo plus pretiosa suo.
Laus utrique haud par. Poppeæ Crinis ab auro;
Astra tuo pretium à Crine nitoris habent.

Fumo, flammâque deturpatam, Christus majori integritati, ac pulchritudini restituit.

Epigr. XXXVII.

O Quam te memorem, Virgo? Non illa superstes
Forma est: ille tuus fugit ab ore nitor.
Nam fumo, flammâque omnis corrupta Venustas;
Nulla es quæ fueras: Transfuga Virgo tui es.
Non sic Agna, Lupis petit eruta, rursùs ovile:
Lilia vel violat spina, vel aura Rosas.
Undique vulnus hiat: nigror inficit undiquè: & ater
Angusto laceram sub lare Carcer habet.
At subitò Dius sponsæ se sistit Amator:
Amplior & sponsæ sic sua forma redit.
Plaga, lues, livor nullus, flos pulchrior Ævi est.
O sapiam, sic si perdere semper amem.

Id.

Id. Epigr. XXXVIII.

Dum flammâ, fumoque solo fœdata jaceret;
 Vulneribusque dolens vincta Puella suis;
Adfuit è Cœlo Jesus: Cœlique salubri
 Rore linit digito saucia membra suo.
Consequiturque salus, major quoque tunc sua formæ
 Forma redit: diæ tàm valuere manus.
O quis honos! Vel cuncta creat qui voce; Puellam
 Ut recreet, medicas admovet ille manus.

D. Dominica ad Iesum.

Epigr. XXXIX.

O Quis Amor! Te nostra trahũt hæc vulnera Cœlo:
 Vulnera contactu, Sponse, beanda tuo.
Tangere nec satis est: vitali perlita succo
 Sanat: & ætherius protinus afflat odor.
Hac mercede petant meme tela omnia. Tangas
 Tu modò; vel toto corpore vulnus ero.

Ad Iovis Templum adducta; sputo in eum conjecto, signoque Crucis aëri impresso, ingenti terræ motu omnia quatit, & Idola evertit.

Epigram. XL.

CEdite, fulmineo mortes paritura boatu,
 Fœta catenatis glandibus æra sinu,
Cedite. Quid tenero majus tonat ore Puella:
 Virgineo clades major ab ore venit.
Namque admota aris, consputaque Numina temnens;
 Thure vaporatos sternit inulta Deos.
Templa, Deosque quatit sputo: tamque impare telo,
 Diva triumphales tollit ad Astra manus.

Quid

Quid valeat dextrâ, quæ sic valet ore? Salivâ,
Ære, auroque graves, hæc terit una Deos.

Id. Ep. XLI.

Bella cient Cœlo, geniti Tellure, Gigantes:
Dejectumque volunt, impia Turba, Jovem.
Bella ciet pia Virgo; Deo quæ fœdere juncta est;
Dejectosque aris conterit indè Deos.
Proh quàm vana Polo donastis Numina! vestræ
Queis Aræ fumant Thure, cruore calent!
Fulmine vix multo dejecit Juppiter hostes:
Dejecit vestrum sola saliva Iovem.

Componitur cum Sampsone.

Epigr. XLII.

VNo tercentum contriverit impete Sampson:
Contriuit plures una Puella Deos.
Quàm parvi sua cuique stetit victoria! sputo
Illa; Viri haud valido prævalet osse manus.
Fulminat hic, telo licet impare; fœmina nullo: hæc
Expuit, ut vincat, vincat ut ille, ferit.

Id. Epigram. XLIII.

Sampsoni insultat multo dum Turba cachinno;
Non tulit indignos ludicra Præda jocos.
Fitq; furor malè læsus honor: quatit, urget; humi mox
Procumbens, cunctos obruit una Domus.
Quàm dispar Divæ, facto non dispare, sors est!
Nam jubet; unà Dii, Templaque lapsa ruunt.
Se quoque at ille hostes sibi dum litat. Heu malè felix!
Ut perimat, perit: hæc non perit, & perimit.

Eo temporis Præses, è Cœlo tactus, moritur.

Epigr. XLIV.

O Age, Virgo, Diis cladem allatura; Deorum
Templa subi, excusso mox ruitura tholo.

Jussa

Juſſa tuo Tellus,tibi militat Æthra triumpho:
Fulminat hæc; trepido fluctuat illa ſolo.
Juppiter indè ruit, tenueſque it Pulvis in auras
Aureus: itque Poli Præſes ab igne Cinis.
Juſtitiam monitos juvat hinc ediſcere. Sors haud
Una Malis, Cœlo eſt vindice,& una Bonis.
Nè Virgo cadat igne,* Polus molleſcit in undas:
In Fulmen,Præſes quò cadat igne,ruit.

Id. Epigram. XLV.

Thure Jovi,cultuque litat dum ſupplice Prætor:
Fulmineo infelix tactus ab igne, perit.
At nil contrito patitur Jove Diva; triſulcas
Impavido ridens fulminis ore minas.
Arma vel amiſit; meliore aut Juppiter uſu
Tractat: nam cultor deflagrat, hoſtis ovat.

Id. Epigr. XLVI.

Infeſto ſontem igne petit dum fulminis Æther;
Cur trepidans toto ſe quatit ora ſinu?
Scilicet, is Superûm Mos,noſter quem improbat uſus;
Vindex irati vel premat Ira Poli;
Omnium ut exemplo, damno jacit unius ignes.
Ut juvet, ille nocet; non juvat, ut noceat.

Cur fulmine Præſes occiditur?

Epigram.XLVII.

Conteris, ah, cur Diva Deos Cruce?fulmina torques,
Sacrilegũ perimens,igne ruente,caput?
Cur non Crux hominem merito demiſerit Orco;
Crux ultrix hoſtis ſic inimica ſui?
An quia,quæ noſtræ tulit Arbos germina vitæ,
Inſtrumenta negas ampliùs eſſe necis?
An quia quæ dio tàm claret ſanguine;tingi
Erubuit,nocui ac cæde rubere viri?

Cre-

Fornax pluvia Dominica illicò extimata eſt.

Crediderim, quòd Thura focis dedit impia: Prætor
Sic bene, peccarat quo Reus, igne perit.

Id. Epigram. XLVIII.

Tantæ molis erat Caput unum perdere; ut ignes
Ultrix in fulmen torqueat Æthra suos?
Ah pudor est: parvo Tellus fecisset hiatu;
Concusso tantùm quod facit illa Polo.
Nempè, ea laus Terris Capita hæc eradere; Cœlum *
Credibile hanc sibi sic præripuisse solo.

Id. Epigr. XLIX.

Cur non Terra vorat: telo sed flamma trisulco,
Præceps irato quæ ruit Axe, necat?
Progenies, quam Styx superas nigra fudit in auras;
Debuerat nigrâ nam nece cæsa mori.
Præreptamque oculis, cæcam Mors abdere in urnam:
Sic ea, quæ fuerat Mors, simul Urna foret.
Immò simul Mors illa foret, quæ, scilicet, Urna;
Viva, videns tumulo, nempè, vorata suo.
Ast ut & Urna foret, quæ Mors est; Impie, debes
Igne mori; ut pereas, & careas tumulo.

Id. Epigr. L.

Nil opus est tumulo, Cœlo dum tangeris: & mox
Excusso, Præses, fulminis igne cadis.
Non ea Mors, cui membra solo tumulanda supersint:
Nam perit, hoc totus quisquis ab igne perit.
Exusti, in cineres lapsi tabescitis artus:
Itque suus Morti vel Rogus ipse comes.
Ergò parùm poteris, Cinis intumulate, dolere:
Jam tibi Mors fecit, quod faceret Tumulus.
Quin magis indè dole. Cui Mors facere ipsa repentè
Præripuit, cunctis una quod Vrna facit.

Id. Epigr. LI.

Impietas, quò te vertes? En fulminat Æther:
Diruptoque patens viscere Terra tremit.

Un-

* *Vt Datanum, ac socios Terra glutiit.*

Undique septa malis: atque hoste urgente; malorùm
Nulla fugæ tibi spes: nam tibi & ipsa perit.
Una patet miseris vestræ spes certa salutis;
Siquâ quæ plectit vos nece, Diva, tegat.
Ni faciat: flagrat alter; hiat simùl altera: nempè,
Devoret ut tellus, quos Polus igne necat.

Id. Ep. LII.

Quid causæ est? Vasto tellus se pandit hiatu;
Cum vibrat irato fulmen ab axe Polus.
Convenere ambo plectendis sontibus: Igne
Hic necet; Inferno tradat ut illa Rogo.

Id. Ep. LIII.

Laurea te duplex, duplici benè texta Triumpho,
Diva manet; gemino quæ tibi ab hoste venit.
Dejectusque suis calcatur Juppiter aris:
Exanimisque suo cum Jove cultor obit.
Ille jacet sputo; jacet hic sed fulmine: victi
In tua cesserunt, scilicet, Arma Jovis.

Hilariano Præside de Cœlo tacto;
D. Dominica in libertatem asserta.

Epigr. LIV.

INtonuit lævum, tam certo fulmen ab ictu
Felix: irato hoc, non reor, Axe venit.
Nam licèt infandum Caput Orco immerserit; at mox
Diva abiens, ferro spontè soluta suo est.
Jusque suum hinc utrique datum uno fulminis ictu:
Vincla huic, vitæ olli Stamina rupit idem.

Id. Epig. LV.

Ruperit immeritas tandem tibi, Diva, catenas;
Rumpere dum sua vel vincula Fulmen amat.
Nam sua fulminibus patrio sunt vincula Cœlo:
Quæque creat, Nubes carceris instar habet.

At perimens meritum Caput igne;soluta Tyranno,
It Campana gravi,quo dolet, ora jugo.
Tu vinclis,Fax nube,it libera & ora Tyranno:
Libertas unâ est vel nece parta triplex.

D.Dominica in libertatem asserta, quamplures Christo adjungit.

Epigr. LVI.

Vindice vix unum tonitru Caput interit; & mox
Millia tot Sacris abluit imber aquis.
Ipsa tenax Superùm pietatis,scilicet,ira est.
Major ab exitio fit quoque parta salus:
Unius interitu multi vixistis:ab uno
Cœlestes tonitru quot cecidistis aquæ!

Id.Ep.LVII.

Quæ tibi,Diva, fluit facundæ copia linguæ?
Nam Populos bibulâ tot simul aure trahis.
Quæ tibi virgineo radians nitet ore venustas?
Nam tot captivos vel trahis una oculos.
Turba sequax Christo sese ultrò in retia mittens;
Præda eadem gaudet,te capiente,capi.
Sic linguâ,formâque vales;hinc plurima Præda est:
Ut capias, laqueus nam tibi, Diva, duplex.
Quique videt, capitur: capitur qui te semel audit.
Tutiùs ut teneas, aure,oculisque ligas.

Id. Epigram.LVIII.

Quæ te, Campano eductam de carcere,solvit;
Quot stygio eduxit carcere læta dies?
Nec quæsita, Reos libertas quærere visa est:
Nam sua qui nosset vincula, nullus erat.
Ergò age, & Infernos compelle in Tartara Divos:
Fac repetant nigros (hæc sua Regna) lacus.

Elue

Eluc jam multò maculosas crimine Gentes:
Emaculat, sacro hic qui lavit amne, latex.
Dumque homines lavat; unà urit malè Dæmonas: ergo
Adde has, si plus vis urere fontis aquas: (illis
Pænarum ò quis ibi ordo est! Quis modus! Ut cremet,
Flamma ubi non? flammæ more crematis aquæ.

Ad Apollonium, novum Campaniæ Præsidem, delata, iterum capitur.
Epigr. LIX.

QUam malè Apollineo ducit de nomine Nomen,
Qui nunc, Nola, novo te premit imperio?
Talis ab Axe minax longo ardet crine Cometes:
Talis it, infestos quà Draco vexat agros.
En iterùm ferroque gravem, atque in vincla Puellam,
En iterum in cæcos compulit ire lares.
Virgo, malis neu cede: at contra audentior ito:
Assuetâ palmas carpere perge manu.
Plurima Apollonio veniet tibi laurea victo:
Integer hoc uno ex hoste triumphus erit.
Nam quartus tibi bella ciet. Sic pompa Triumphi
Major: quadrijugus sic tibi cursus erit.

Nolæ in ardentem fornacem conjectâ, subita de Cœlo pluvia ignem extinguit.
Epigr. LX.

IMpia vicino didicit num Turba Vesevo,
Innocuum ut tanto perderet igne Caput?
Ut pereat, quod Thura focis non iniicit; urens
Vesvius angusto clauditur ipse rogo.
Irrita Barbaries! Nè innoxia Virgo periret,
En perit effusâ protinùs ignis aquâ.

Nola rogo infelix nimiùm vicina, Vesevi
Flammivomas poterit nulla timere minas.
Nam quæ fornacem extinxit fuso imbre; Veseve,
Quid faciet flammis sanguine, disce, tuis?

Id. Epigram. LXI.

Ignivomo quorsùm tanta hæc incendia nimbo?
Nempè, una ut pereat facta Puella Cinis;
Sic ultura Deos, Virgo quos pulveris instar
Contudit. hæc facto consona Pœna suo est.
Hæccine Pœna? Focis halant sic Thura Sabæis:
Sic & odoratum naribus Ambar olet.
Quid non Sancta valet Pietas! In præmia vertit
Supplicia, & votum est sic quoque posse mori.

Id. Epigr. LXII.

Aspicis, ut cæso Fornax Campana Vesevo
Ardeat; accenso Diva ut ab igne cadat.
Degener at negat ille sui, renuitque nocere;
Flare jubens medio, non sua flabra, rogo.
Illam flamma simul, zephyritis & aura coronant:
Purpureasque refert roscida Pruna Rosas.
Quique rogo rogus exulat; ardens ima Tyranni
Corda subit. Quantas evomit ille faces!
Sic sua utrumque tenet Sors. Uritur, urere qui vult;
Vel procul igne: uri jussa, nec igne calet.

Lupis, Leonibusque voranda, obiicitur, sed citra damnum.
Epigr. LXIII.

SAnguinis, heu, quàm dira fames! En illa Leones
Ad cædem imp ransos urget, & illa Lupos.
Nec quæcunque placet Mors: sed quâ nulla supersit
Pars vitæ: & quæ nil, quod tumuletur, habet.
Proh feritas! quæ mortem infert, mortique sepulchrũ
(Sunt hæc vel miseris ultima vota) negat.

Stat

Stat Virgo devota Lupis: non illa ferarum
Ora timet: quæ Mors; quæ sibi Tumba forent.
At non immites tam mitia fercula dentes
Ista decent. Viden ut se tenet illa fames!
Ut parcit feritas! jejunaque ad oscula supplex,
Virgineos lambit lingua operosa pedes.
Disce, mori quo Diva potes, quo vivere: si vis,
Mitte homines; ni vis vivere, mitte feras.

Id. Epigram. LXIV.

Quis te, Diva, neget mitissima, Moribus Agnam?
Obiiceris sævis esca voranda Lupis.
At non esca Lupis sapit hæc: impastaque Prædæ
Ingluvies, potuit parcere tanta suæ.
Quin etiam prono vix ausas cernere vultu,
Exagitat pavidas, nec pavet ipsa, feras.
Irato cur dente fremis Gens impia? Nosse
Debueras: Virgo hæc vicerat ante Lupas.

Id. Epigr. LXV.

Infantes pavisse Lupam, quos Martia Patres
Roma habet: & mammas exhibuisse, ferunt:
Maternosque bibens in non sua Pignora sensus,
Sat dulci Matris munere functa fera est.
Mira hæc: sed sunt mira magis spectacla, famescens
Quæ pasci, oblatâ Virgine, non patitur.
Magna feræ fuerit Pietas tunc pascere: plus est,
Jejunam haud pasci, malle fameque mori.

Id. Epigram. LXVI.

Extimulant vacuos jejunia longa ferarum
Ventres: dens sua quantùm otia sicca dolet!
Sponte tamen fert ille famem: pedibusque fatigat
Lambendis, moris nescia Lingua sui.
Inque Agnos cessere Lupi. Nil Diva ferino
Dente, hæc fæmineis tam malè passa dolis.

Fœmina, nempè, feris est prava nocentior ipsis.
Si sapis, ante Lupos disce cavere Lupas.

Id. Epigr. LXVII.

Excepere Lupos impasto dente Leones;
Afra quibus nullos parturit ora pares:
Heu furor! heu! Hominesne furunt? Mitescitis, ultrò
Doctæ, quodque homines dedidicere, feræ?
Quantus & indè Pudor? Vacuo jejuna palato,
Neu noceat, Leo fert ora, famémque premit.
Quis neget è Cœlo Genus hoc fluxisse Leonum?
Quis te jam in Cœlum, Virgo, abiisse neget?
Namque Leo haud lædens, nec Virgo proxima læsa;
Incola; vel patrii Civis uterque Poli est.

Feris objectâ ab Apollonio, nec læsâ; magna Paganorum vis ad Christum convertitur.

Epigr. LXVIII.

NOn sua virgineis dum figeret oscula plantis
Et Lupus, & positâ jam feritate, Leo;
Obstupuit visa hæc rerum ad miracula: Christoque
Expuit in patrios addita Turba Deos.
Ex oculis hausitque fidem: quam falsa Deorum
Numina sint, uno docta vel intuitu.
Sat vidisse fuit. Cæcam quis dicere posthac
Audeat hanc; oculi quam peperere, fidem?

Id. Epigram. LXIX.

Cuncta oculis, queis parta fides; nil debuit isthæc
Auribus: ulla hìc, quæ lingua loquatur, adest?
Quæque Polo venit linguarum in imagine, nullo
Corda subit, vocis functa ministerio.
Virgo silens loquitur: fidei nova semita nostrum
In pectus, portæ jam patuere novæ.

Quam-

Quamque fidem eloquii potuit vis nulla; repentè
Hanc mutæ pecudes, hanc docuere feræ.

Id. Epigr. LXX.

Turpe docere feras; homines sic turpe doceri:
Fit decus ast hominum, quod fuit ante pudor.
Nulla fames jejuna lupos, & nulla Leones
Urget, ad immeritas irrequieta dapes.
Et nativa Deo feritas se subiicit: ultrò
Impatiens fræni fræna valetque pati.
Hæc ingens Homini pudor est nescisse: Magistris
At decus hæc Homini vel didicisse Feris.

Rota supplicium fortiter fert: quæ tandem in frusta sponte disiicitur.

Epig. LXXI.

VUlnifico teneros Rota ferro armatur in artus;
Quam multâ in spissum cuspide vulnus obit.
Carnificumque manu, validisque rotata lacertis,
Heu furit! Heu scelus! atque undique membra ferit.
Stat cultris concisa: suoque rubescit ab ostro
Diva, cruentatos dilacerata Sinus.
At subitò avulsâ moles compage rüit vi:
Scilicet, illa ferum est osa ministerium.
An magis in pœnam laceri Rota Corporis, ultrò
Scinditur, immeritam dum lacerasse dolet?

Id. Epigram. LXXII.

Plagarum, heu, satis est, satis, heu, cruor ubere manat
Imbre; nec ulla suo vulnere membra vacant.
Audimur? falsi an me ludit imago? Puellæ
Indignata necem, spontè revulsa Rota est:
Atque usu meliore ferit: perditque merentem,
Quæ ferro immeritam perdere Turba parat.

Sic Rea quæ fuerat, compactoque integra lignô
Peccarat; scisso corrigit orbe minor.

Id. Epigram. LXXIII.

Quam cultris, uncisque armant ad funera, moles
Rumpitur: & latè ferreus imber obit.
Sparguntur toto mortes, ac vulnera campo:
Quæque aliis mala Gens fecerat, ipsa tulit.
Mutavere vices. Pœnis it Diva superstes:
Et perit à manibus Turba operosa suis.
In Tauro periit Tauri Faber; improba quidni
Gens pereas, operis damna ferasque tui?

Id. Epigram. LXXIV.

Diva, cruentaret multo te dum aspera ferro
Heu, Rota; tota cruor, nec nisi vulnus eras:
Ulla neque hinc pietas; nimioque soluta cachinno,
Ridebat pœnis Gens inimica tuis.
At non illa diu. Avulsâ vi Mole, suâ mox
Sævitiæ pœnas cæde dedere pares.
Excipiunt lachrymæ risus, & gaudia luctus:
Excipiunt hilares tristia Fata jocos.
Sic est: Fortunæ nimiùm neu fidite: vertat
Ut fortuna rotam, hoc discere ab orbe licet.

Cur post Virginis lacerationem Rota dissilit?
Epigr. LXXV.

QVid lacerat, laceris Rota quæ ruet artubus; ultrix
Dum repetit pœnas Criminis ipsa sui?
Ah, pia es: es simul impia: nam una ferisque, dolesque:
Et quæ fecisti vulnera, facta doles.
Impietas fuerit, Divæ quòd membra cruentas:
Quòd tua dilaceras viscera, at hæc Pietas.

Id. Epigram. LXXVI.

Quid juvat avulso feralis Machina ligno?
Virginis en totum vulnere Corpus hiat.

De-

Debuit innocuæ non ante nocere Puellæ:
Velle nec effusi sanguinis ire ream.
Nunc scindi frustra est: geminat sic crimina: Divæ
Integram satiùs parcere malle foret.
At benè: scindatur: facere hinc, bona Virgo, docemur
Quæ valeas: Feriat; quanta, Puella, pati.

Capite damnatur.
Epigram. LXXVII.

PRæsidis extremæ te jam admovet ira diei;
Ac tibi fulmineo mox cadet ense caput.
Nil tamen ipsa paves, vultu imperterrita, sævæ
Occurris, nuptæ blandior ore, neci.
Nempè, mori sic, Diva, juvat: quam vivere vitam
Incipis, extremam non habet illa diem.

Inter Angelorum cuneos; post fusas ad Deum preces, capite minuitur eâdem, qua nata erat, die Dominica.
Epigr. LXXVIII.

QUæ tibi Natalis fuerat lux alma, cruentæ,
Lux tibi, Diva, tuæ est sanguine tincta necis.
Illa sibi ah quantum discors! Lucinaque cunas,
Atque eadem tumulum cur Libitina parat?
Fallor: utroque sibi est sat concors munere: nempè,
Nil vitæ Vita hæc, Mors ea mortis habet.

Id. Epig. LXXIX.
Candida carnifici mox colla datura; volantûm
Stiparis Superûm nobilitata Choris.
Qualia das, Virgo, terris spectacula! sponte
Spectatum in Terras exulat ipse Polus.

O quæ

O qualis tua Mors! gemino cui contigit uni
Orbe nitens, Cœlo teste, Corona duplex.
Altera ab ense venit; nam quos ferit, ille coronat:
Altera te gyro nobiliore beat,
Cęlicolis stipatam. Aliis quoque parta per ensem,
Non tibi soli est: hæc una Corona tua est.

Id. Epigram. LXXX.

O quàm te Cœtu morituram dispare cingunt,
Carnificumque Greges, Aligerûmque Chori!
Convenere ambo studia in contraria: ferro
Illi ut te perimant: hi ut magis ore beent:
Amborumque ardet, furor hinc, amor indè: tueri,
Quam vult ense furor perdere, vellet Amor.
Fecissetque: At quantùm amor hic obstabat amori?
Hoc juvat ille magis te vel amore, furor.
Et juvat, & placet. Aligerûm minus ore beari est;
Quam sit Carnificum sic periisse manu.

Id. Epigr. LXXXI.

Delapsas Cœlo turmas Campania Terris;
Excipit,& Superos Bethlemis ora Choros;
Postremas illic morituræ Virginis horas;
Hic nati primas Numinis ut videant.
Quin etiam induti festos ad gaudia cultus,
Cæsariem radio splendidiore ligant.
Hi cunas deceant habitus; num & funera? Quid ni?
Ah satis hoc vitæ, credite, funus habet.

Id. Epigr. LXXXII.

Cœlica Bethlemias implent concentibus oras
Agmina: Campanis quid tacito ore silent?
Infanti teneant magis ista silentia: neu qua
Dulce soporato perstrepat aura Deo.
Ut sopor à fletu fessis obrepat ocellis;
Otia fas fuerit rumpere muta lyræ.

Fas

Fas etiam indulsisse modis: Divæne triumpho
An non Cœlicolas conticuisse nefas?
Virginis hæc laus est: Ultrò occurrisse Puellam
Ferro, atque impavidam sic stupuere mori.
Dumque tenet stupor attonitos, hæsere: videndoque
Intenti, solitis abstinuere modis.

Id.Epigram.LXXXIII.

Cœlicolûm moreris circum stipante coronâ:
At quid adest muto, nec canit illa, Choro?
Scilicet, ante Deum dum elata voce precaris;
Nè qua aliis pereant, nè sibi verba, timet,
Quàm dulcis tibi vox, Virgo, est, faciesque decora?
Te ut videat, properat, te audiat Æthra, silet.

Id.Epigram.LXXXIV.

Virginis ò quæ vos morituræ tanta Cupido,
Cœlicolæ, ut summo vos trahat Axe, tenet?
Immortale decus vobis, & inocciduus flos
Ævi est: num vitæ Mors inimica capit?
Quæque cruenta suo terret magis horrida vultu,
Horrida barbaricis Mors scelerata modis.
Sic est: quæsiti pulchra hæc per vulnera lethi
Vos quoque, Gens lethi nescia, tangit amor.
Nempè, mori pro te, Jesu, tam dulce, decorumque;
Ut vel qui nequeant, vel mage posse velint.
Quid ni, quòd Superis nulla hæc sors, nulla voluptas;
Quæ non ferre datur, cernere dulce putent?

Moriens supra bis mille, ac sexcenta Capita ad Christum convertit.

Epigr. LXXXV.

O Virgo, quàm Prole ferax, mirandaque eodem
Partu es! nam Sponso mortua mille paris

Par-

Parturiunt flores fructus: tibi viscera septo
Obvallant gemino lilia, & alma Ceres.
Vulnere quique tuo Cruor exilit, hic simul unda est:
Quæ Populos maculis eluat unda suis.
Crudeli te dant letho, nè falsa periret
Relligio: Et periit, quòd nece, Diva, peris.

Cum D. Paulo moriente, moriens Virgo componitur.
Epigram. LXXXVI.

PAule, caput præceps tibi dum metit ensis in ictum;
Unda, suo haud veniens lactea fonte, fluit.
Nec semel erubuit, bis cum erubuisse deceret;
Quòd secat, & tantum quòd secat ille caput.
At non sic Divæ sectâ cervice. Pudore, ac
Ipso, quem fudit, sanguine bis rubuit.
Est dispar utrique color; par munus utrique:
Lictori prodest lacteus ille suo:
Hic roseus Christo tot alit, quot parturit: uno
Tantùm est ore Cruor, cætera lactis habet.

Divæ anima ministerio Angelorum fertur in Cœlum.
Epigram. LXXXVII.

VIctor io! Aligerûm pennis subit Æthera Virgo:
Evolat, & victrix sidera calce premit.
En ut amat, quod vectat onus: sibi plaudere Olympo
Lapsa Cohors, onere ac visa superba suo est.
Obstupuere nova hæc spectacula: & attonita hæret
Fixa oculis Cœlo Gens, pede fixa solo.
Virginitas cognata Polo olim dicta: Parum hoc est:
Bajulat hanc famuli more, modoque Polus.

Id.

Id. Epigram. LXXXVIII.

AH sibi neu nimiùm placeat, cui nomina* Vates,
Sol scripsit radiis, aureus ipse, suis.
Ignivomis quòd vectus equis, calcaribus ignes
Egit, & hos jussit, non sua frena, pati;
Cum sese raptum Terris, novus Aëris Hospes,
Rettulit ad primi Rura beata soli.
En bigâ meliore Polos transvecta Puella,
Olli haud calcatas institit ire vias.
Vectores habet hæc Superos, flammam ille curulem:
Felices hortos hic tenet; illa Polum.

Eius Corpus Tropæam ab Angelis delatum.
Epigram. LXXXIX.

DIva vel Astra petas, repetas seu patria tecta;
Semper es ætheriis associata Choris.
Quin etiam expansas Turma hæc tibi subiicit alas:
Impositamque humeris evehit alta suis.
Nè qua tui vacet obsequio; Pars funeris expers
Seu Cœlum subeat, mortua seu tumulum.
Excipienda Polo es victrix? læta illa triumpho
Dat Currum: Tumulo? Mœsta dat & Pheretrum.

Id. Epigr. XC.

Quæ Superûm compacta choris te Machina Cœlo,
Compacta in pheretrum, te intulit, & tumulo.
Discrepat en secum ipsa, suis quàm degener ausis;
Plusquam dissimili functa ministerio.
Num decuit, Cineri sese, num inferre Sepulchro;
Quæ potuit Cœlo celsior ire Polo?
Hæc tua, Virgo, duplex laus est: cui Gloria duplex
Debetur; meritis Gloria parta tuis.
Altera tam innocuæ sunt præmia debita vitæ,
Altera sunt tantæ debita justa neci.

Id.

* *Helias à græca voce Ἥλιος.*

Id. Epigr. XCI.

Diva, tui quidquid mortale superfluit ensi;
Cœlicolûm Patriæ reddit amica manus.
Scilicet, hæc, te absente, dolens, lachrymosaque luctu
Sat longo, tristi tergat ut imbre genas.
Sic, quam Barbaries hominum Gnatam impia Matri
Abstulerat; Superûm restituit Pietas.

Id. Epigr. XCII.

Redderis en Patriæ, simul en tibi reddita & illa est:
Hoc neutri donum dulcius esse potest,
Ablatam doluit: Virgo ipsa ablata dolebat:
Unius exilio nam utraque & exul erat.
Sic ambæ extorres, atque utraque reddita utrique;
Dum redit in Patriam, Patria & ipsa redit.

Id. Epigr. XCIII.

Exuvias Gnatæ dulces, patria excipe Tellus;
Cœlicolûm præpes quas tibi penna vehit.
Dona ferunt Superi, sed non sua dona; Parenti
Donat, quæ donum est, ipsa Puella suæ.
Scilicet, undè habuit, condi nam corpus eodem
Illam, credibile est, hoc voluisse sinu.

Tropæa ad Tumulum B. Dominicæ Prosopopæia.
Epigr. XCIV.

AMplector reduces, mea Pignora, Virginis artus,
Quos volucris patrio Turma dedere solo.
Cognatusque suâ Cinis hac condatur in urnâ:
Hac nulla huic Cineri dulcior Urna foret:
Dulcior hoc Urnæ nullus Cinis. Urna fovebit
Hunc Cinerem, hanc Urnam foverit iste Cinis.
Frigeat hic Pulvis: lapis hic quoque frigeat: usque
Arcano meus hinc igne calescet Amor.

Id.

Id. Epigram. XCV.

O mihi ſat chari Cineres, quos hæc tegit Urna !
  Hæc eadem eſt animæ Nidus, & Urna meæ.
Hic ego vobiſcum tumulor, tumulataque vivo,
  Pars potior vitæ hìc, major & illa meæ.
Dulce Caput, mea Virgo, amplexu condere noſtro:
  Sic tumulus tumuli ſemper ero ipſa tui.
Immò eris ipſa mei: alternoque fovebimur igni;
  Ipſa tuo, inque ſinu condita & ipſa meo.
Tu noſtro vives animo, vivemus in illo
  Nos cinere: hic an erit vel mea vita Cinis?
Frigidus ille quidem, vel ſit quoque Mortis Imago.
  (Ni potiùs ſenſu fallor & ipſa meo)
Eſt ſuus huic Cineri dolus, at pius: Ecce doloſo
  Flamma ſinu vivax me cremat, & latitat.

Comparatio inter DD. VV. ac MM. Catharinam, & Dominicam.

Epigr. XCVI.

BIna ſuo vix albeſcunt ſic lilia lacte:
  Murice ſic binæ vix rubuere Roſæ;
Laude pares ut eunt ambæ, & quæ Diva Canopi
  Eſt, & quæ Calabri Gloria, Diva, Soli.
Par utrique Pudor, Cruor & par. Ille ſacratur
  Chriſto: pro Chriſto hic fuſus, ab enſe cadit.
Illa docet, docet hæc: ambæ fideique Magiſtræ,
  Quæ maculant Sacro Crimina rore lavant.
Atque ſuâ ſtat quæque Rotâ ſublimior: ambas
  Cælicolæ exanimes ad loca nota vehunt.
Sorte pares, ac laude; duplex Virgo, & ſimul una,
  Eſſe duas unam: unam & reor eſſe duas.

Id.

Id.Epig.XCVII.

Cum ſitis tàm laude pares,quàm ſorte, Canopi
Et Calabri, Divæ,ſidera prima Poli.
Dos ambas vos una tamen diſcriminat: eſtis.
Altera, quâ major,quâ altera & ipſa minor.
Plures unà Sophos, plures fugat una Tyrannos:
Huic melior palma eſt; laurea docta minor.
Olli palma minor, melior ſed laurea. Major
Utra eſt ? mente magis, quæ an mage corde valet?
Clara Lycæo illa eſt: gemino hæc ſed clara Triùpho.
Eſt Reges plus,quàm vincere poſſe Sophos.

Inter Heliam Prophetam, & Divam Dominicam comparatio.

Epigram.XCVIII.

TU quoque,Dive,veni, Vatũ Pater: addere noſtrę
Vel noua, Carmeli Gloria priſca lyræ.
Nec bonus indignere, parem, geminumque Puellæ
Quòd faciam:magnos quot præit illa viros!
Ipſe jubes ignem Cœlo delabier: Ignis
Dedidicitque ſuas immemor ire vias.
Juſſit & hæc, juſſuſque ruit mox deciduus: quo
Mox eſt Campani Præſidis ulta nefas.
Amborum Imperium ſenſerunt Agmina aquarum;
Has,quibus hæc ſolvit vincla,tu in Axe ligas.
Cuncta pares,minor hôc es, quòd te fœmina terret:
Terruit hæc quot,quoſque una Puella viros!

Id.Epigr.XCIX.

Macte animi Vir! Te pavidum non excipit Ignis:
Aurigam potiùs quin timet ille ſuum.
Macta animi Virgo! Impavidã quoq; te excipit Ignis:
Teque magis tua quin hoſpita flammà timet.

Lam-

Lambit utrique pedes innoxia flamma: nec uno
  Crine utramque audet vel temerare comam.
Sors par amborum, dispar sed gloria; quantùm
  Ingenio est dispar utraque flamma suo.
Altera de Cœlo, terrestris & altera: at illa
  Igne suo lucet, sed cremat ista suo.
Quòd Vati innocua haud noceat, nil miror: at hoc est
  Quod miror, tibi nec noxia, Virgo, nocet.

Vtri maior Gloria, Calabriæ ex loco Natali Divæ Dominicæ, an ex Morte Campaniæ?

Epigram. C.

VIrgo Tropæani flos ò pulcherrimus agri!
  Facta es Campani flos quoque, Virgo, Soli.
Altera luce tuos prima imbuit oris ocellos:
  Altera te radio nobiliore beat.
Utraque sorte suâ sibi plaudit, & utraque certat:
  Et quæ natali te tulit ora sinu:
Et quæ desecto liquefacta corallia collo,
  Excipiens, letho Terra beata tuo est,
Se cunis præfert Calabra; at Campana pheretro:
  Teque sibi magis hæc vendicat, illa magis.
Altera jure prior; melior tamen altera: nempè,
  Te parit illa solo: Te parit ista Polo.

Id. Epigr. CI.

Ah, nè te partâ jactes, Campania, palmâ:
  Te melior jure est, quæ fuit ora prior.
Tu Cœlo, dedit illa solo: sed sanguine fuso
  Quòd dederis Cœlo, quæ tibi Terra dedit?
Lacte aluit, pavitque diu, bona Virginis Altrix:
  Quas dedit, indè habuit Virgo cruoris opes.
Si sua cuique redit Res, victa es. Reddita cuinam
  Mortua, vel Cœlo judice, Virgo redit?

Calabriæ Prosopopæia.
Epigram. CII.

DUlcia, Cœlicolæ, vestris sit figere plantis
  Oscula fas, famulam qui properatis opem :
Quò Patriæ dulces repetens mea Virgo Penates ,
  Vel patriâ, pœnis functa, quiescat humo .
Quæ fuerat natæ Nidus, sit & Urna sepultæ ;
  Postque Cruces, post tot vincula, flagra, quies.
Illa Rotamque, Ignesque, Feras,expertaque,& enses,
  Campanas caveat, post sua fata, plagas .
Sic est: Post sua fata cavet: nam nulla ibi merces
  Mors,nil, pro Christo quo patiatur, habet.

Nolæ, ubi moritur, ac Tropeæ , ubi sepelitur,pro D.Dominicâ contentio .
Epigram. CIII.

QUæ moreris Nolæ, tumularis, Diva, Tropææ :
  Illa Cruore tuo nobilis, hæc Cinere;
Quæque suo dives Thesauro,quæque beata est :
  Quippe tuus cruor est, amplaque Gaza Cinis .
Utraque sorte sua felix: felicior utra est ?
  Quæ albescit Cinere?an sanguine quæ rubuit?
Hanc rubuisse manus diri fecere Tyranni :
  Et quæ sacrilego messuit ense caput:
Illa quòd albescit, Superûm vos Agmina,Divæ
  Bajula,& Ætheriæ, quæ retulere,manus.

Id.Epigr.CIV.

Pulchrescis pulchro , Nola, illita sanguine Divæ :
  Ast eadem, vultu dispare,fœda quoque es.
Immeritâ quòd cæde mades: eademque venustat
  Sanguine,quæ maculat crimine, sæva manus .

Nul-

Nulla Tropæa tuæ sentit contagia culpæ :
Quamque beant Cineres, crimine non maculant.

Id.Epigr.CV.

Qui te, Nola, cruor ditat, seu gemmeus imber ;
Lictori debes, quas tibi fudit opes.
Qui ditant Cineres (proh dives Gaza) Tropæam ;
Has Gnatæ debet, quas sibi misit opes.
Munera quàm distent, potes hinc ediscere: nam illa
Sævities; Amor hæc, hæc dedit & Pietas.

Martis Templum Tropeę D. Dominicæ dicatum.
Epigr.CVI.

HIc ubi Templa suæ pia sacrat Patria Divæ ;
Sacrârat Patriis impia Templa Diis.
Mars erat, & Marti fumarat odora Sabæâ
Fruge; vaporatis dum calet ara focis.
Quàm benè victrici cesserunt fana Deorum !
Hæc spolia, hæc victæ Relligionis opes.
Jam tibi Turba Deûm cave : nam illic Juppiter olim
Corruit: hìc Templo Mars quoque pulsus abit.

Eidem Templo Asceterium Virginum est adiunctum.
Epigr.CVII.

MArtia ubi Divæ sacrantur limina, castus
Incolit intactâ Virginitate Chorus.
Nempè, suo quò flore fuget malè olentia Martis
Probra, atque alterius jura soluta Thori.
An potius Sacro consultum ritè Pudori est,
Nè cadat? Est nullus nam sine Marte Pudor.

Divę Dominicę Sepulchrum Cœlestibus luminibus, ac Canticis famosum.

Epigr.CVIII.

NAtalis, mea Diva; tuos quæ creditur, artus
Exanimes gremio condere Terra suo;
Sæpè illam lapsæ lustrarunt Æthere flammæ:
Visæ illic nitidos ducere sæpè Choros.
Quin etiam tacitas superis concentibus horas
Mulcebat miris Cœlica Turba modis.
Neglecto dolui quòd te tegat Urna Sepulchro:
Ardeat exuviis cera nec ulla tuis.
Cerea jam desint: Cœlo adsunt lumina: ad Urnam
Deficiunt homines, Virgo; at habes Superos.

Id.Epigr.CIX.

Quis nitor? obscuro quænam nova pompa Sepulchro,
Ætherias inter venit ab Axe faces?
Nox silet, ac tacitis Orbem contexerat alis:
Totaque concentu personat ora suo.
Discrepat hoc aliis nimiùm, mihi crede, Sepulchris:
Nox ibi cuncta premens, horrida, & umbra silens.
Hìc nitor, hìc lapsi totus canor Ætheris. Una hæc
Quòd tua, nil Urnæ, nil habet Urna sui.

Triplex D.Dominicę, ac valdè mira vis. In Piratas Mauricos, In Mare, In Dęmones: Ac primò in Turcas Prędones. Epigr.CX.

DIva potens, Calabris Nereus quà flectitur undis;
Pellere Lunigeras diceris una Rates.
Sæpè dolos, ac sæpè manus elusimus; & quę
Turpia Thrax Prędo vincula sæpè parat.

Præ-

Præside te, trepidis fugiens secat æquora proris :
Et quæ terrebat, territa classis abit.
Sic benè, contritus cecidit quâ Juppiter;unà
Contrito & cornu Luna minuta cadit.

Æris Campani sono Turcas ab sui Nominis Pago arcet.

Epigr.CXI.

IN festis multâ Turcæ dum nocte Maniplis,
Quæ Divæ nota est nomine Villa, petunt.
Æthere lapsa,loci Præses,Virgo adfuit : & mox
Piratas,sacro dum sonat ære, fugat.
Detectas lunata dolent dumque Agmina fraudes ;
Desertas repetunt in statione rates.
Jam totas dormire loci licet, Accola, noctes:
Quæ pro te vigilat, teque tuetur, habes.

Id.Epigr.CXII.

Ære cavo sacra reboat quid Turre, Manetis
Ut Turmas gelido Diva pavore premat ?
Martia nam melior streperent tuba,classica, vel quæ
Accendunt Martem; Martis,& Arma cient.
Sic ad vota vocant,non arma; & sacra subire
Templa;nec hostili cæde madere manus.
Falleris: hinc nam certa virescit adorea:nempè ,
Arma minùs,magis ad prælia vota valent.

Id.Epigr.CXIII.

Imbelles animæ, vilesque,an prorsùs inanis,
Campano veniens vos quatit ære, sonus?
Et quatit,& fugat. Hic haud est,qui fulminet,ensis:
Nec, quæ vel libent vulnere, tela volant.
Quid causæ est,rabidi modò qui venere Leones;
Nunc pede præcipites hinc abeunt lepores?

Nempè, meæ virtus hæc Divæ. Bella triumphans,
Quo nos aggredimur, conficit illa sono.

Id. Epigr. CXIV.

Mos Sinis strepere ære viris; si quando laboret
Luna: Laboranti Gens ita præbet opem.
Vana hæc mitte: vides contraria: Luna laborans
Deficit hinc, uno quòd strepit ære manus.

Dromo, Messanæ suburbio, Turcas, nocte Domini natali exscensu facto vexillo Crucis expulit.

Epigram. CXV.

NOx erat, & PrædoZanclenThrax puppe tenebat:
Zancla loco nomen fecerat ante, Δρόμος.
Jamque inhians promptæ, non se capit impia, prædæ
Turma, catenatas ducere certa Nurus.
At non sic visum Divę, quę presidet orę:
Gutture sed vacuo fecit abire Lupos.
Nam Cœlo delapsa, trucesque invecta Maniplos;
Avertit trepidos: luce, oculisque fugat.
Sicque sono Calabros, Siculos fulgore tuetur:
Proque suis tonitru nam quoque fulmen habet.

Id. Epigr. CXVI.

Dum te, Virginei colerent Nox conscia partuş,
Christiadæ, nati Numinis & lachrymas;
Thracia lunatis sese fudere carinis
Agmina, Zanclæis insidiosa locis.
Incautosque premens, nostro Thrax gaudia fletu
Mergere: vultque hilares cæde rubere dies.
Ah cave: stricta Deum nobis dum fascia vincit;
Gens sua, nos, famulâ compede vincta, nefas.
Audiit hæc, quæ Diva loci est fidissima Custos:
Barbaricosque urgens irruit in Cuneos.

Nec

Nec mora: Sidereo trepidantes ore phalanges
Perculit, imbelles Vultur ut urget Aves.
Sic quæ Pax Terris, nato mox Numine, Cælo
Insonuit Superûm carmine, Virgo dedit.

Id. Epigram. CXVII.

Diva, Deos seu sacrilegis decedere ab aris,
Turpia seu Thraces vertere terga, jubet:
Vsque Crucē præfert: Cruce tantùm armata, Manetis
Agmina, quæque Diis impia Thura cremant.
Majestate suos valeat quid Christus in hostes,
Discite: supplicio vincit & ipse suo.
Jam Cruce, Diva, præi: Isacidas prosterne: superstes
Sìc hostis Christo, Te Duce, nullus erit.

Id. Epigram. CXVIII.

Nascitur angusto Deus infans fornice; & arma
Cælicolæ tractant, unà agitantque Choros.
Annua si redeunt Terris hæc Gaudia; Cœlo
Hoc Choreas inter fœdus, & Arma redit.
Jam, Superi, indulgere Choris totos licet: Æthræ
Bellica nam Virgo, quæ benè tractet, adest.

Divæ Dominicæ Potestas in Maris procellas. Epig. CXIX.

DIva Potens Pelagi, Vectorum ò Sidus amicum;
Siqua Tropæanis Cymba vehatur aquis.
Quin etiam, Siculum quà se magis explicat æquor;
Indomiti Domitrix diceris una Maris.
Nulla Abies illìc, casus montana marinos
Expertura; tuam quin sibi quærat opem.
Ah quoties fluctu jam jam tumulanda: sed olli.
Vna salus miseræ, Portus & unus eras.
Nam tua vel surdi senserunt nomina fluctus:
Moxque voranda suis, Cymbula lusit, aquis.

Vtra-

Id. Epigr. XCI.

Diva, tui quidquid mortale superfluit ensi;
Cœlicolûm Patriæ reddit amica manus.
Scilicet, hæc, te absente, dolens, lachrymosaque luctu
Sat longo, tristi tergat ut imbre genas.
Sic, quam Barbaries hominum Gnatam impia Matri
Abstulerat; Superstîm restituit Pietas.

Id. Epigr. XCII.

Redderis en Patriæ, simul en tibi reddita & illa est:
Hoc neutri donum dulcius esse potest,
Ablatam doluit: Virgo ipsa ablata dolebat:
Unius exilio nam utraque & exul erat.
Sic ambæ extorres, atque utraque reddita utrique;
Dum redit in Patriam, Patria & ipsa redit.

Id. Epigr. XCIII.

Exuvias Gnatæ dulces, patria excipe Tellus;
Cœlicolûm præpes quas tibi penna vehit.
Dona ferunt Superi, sed non sua dona; Parenti
Donat, quæ donum est, ipsa Puella suæ.
Scilicet, undè habuit, condi nam corpus eodem
Illam, credibile est, hoc voluisse sinu.

Tropææ ad Tumulum B. Dominicæ Prosopopæia.

Epigr. XCIV.

AMplector reduces, mea Pignora, Virginis artus,
Quos volucris patrio Turma dedere solo.
Cognatusque suâ Cinis hac condatur in urnâ:
Hac nulla huic Cineri dulcior Urna foret:
Dulcior hoc Urnæ nullus Cinis. Urna fovebit
Hunc Cinerem, hanc Urnam foverit iste Cinis.
Frigeat hic Pulvis: lapis hic quoque frigeat: usque
Arcano meus hinc igne calescet Amor.

Id.

Id. Epigram. XCV.

O mihi ſat chari Cineres quos hæc tegit Urna !
Hæc eadem eſt animæ Nidus, & Urna meæ.
Hic ego vobiſcum tumulor, tumulataque vivo,
Pars potior vitæ hìc, major & illa meæ.
Dulce Caput, mea Virgo, amplexu condere noſtro:
Sic tumulus tumuli ſemper ero ipſa tui.
Immò eris ipſa mei: alternoque fovebimur igni;
Ipſa tuo, inque ſinu condita & ipſa meo.
Tu noſtro vives animo, vivemus in iſto
Nos cinere: hic an erit vel mea vita Cinis?
Frigidus ille quidem, vel ſit quoque Mortis Imago.
(Ni potiùs ſenſu fallor & ipſa meo)
Eſt ſuus huic Cineri dolus, at pius: Ecce doloſo
Flamma ſinu vivax me cremat, & latitat.

Comparatio inter DD. VV. ac MM. Catharinam, & Dominicam.
Epigr. XCVI.

BIna ſuo vix albeſcunt ſic lilia lacte:
Murice ſic binæ vix rubuere Roſæ;
Laude pares ut eunt ambæ, & quæ Diva Canopi
Eſt, & quæ Calabri Gloria, Diva, Soli.
Par utrique Pudor, Cruor & par. Ille ſacratur
Chriſto: pro Chriſto hic fuſus, ab enſe cadit.
Illa docet, docet hæc: ambæ fideique Magiſtræ,
Quæ maculant Sacro Crimina rore lavant.
Atque ſuâ ſtat quæque Rotâ ſublimior: ambas
Cælicolæ exanimes ad loca nota vehunt.
Sorte pares, ac laude; duplex Virgo, & ſimul una,
Eſſe duas unam: unam & reor eſſe duas.

Id.Epig.XCVII.

Cum sitis tàm laude pares, quàm sorte, Canopi
Et Calabri, Divæ, sidera prima Poli.
Dos ambas vos una tamen discriminat: estis
Altera, quâ major, quâ altera & ipsa minor.
Plures unâ Sophos, plures fugat una Tyrannos:
Huic melior palma est; laurea docta minor.
Olli palma minor, melior sed laurea. Major
Utra est? mente magis, quæ an mage corde valet?
Clara Lycæo illa est: gemino hæc sed clara Triũpho.
Est Reges plus, quàm vincere posse Sophos.

Inter Heliam Prophetam, & Divam Dominicam comparatio.

Epigram.XCVIII.

TU quoque, Dive, veni, Vatũ Pater: addere nostræ
Vel noua, Carmeli Gloria prisca lyræ.
Nec bonus indignere, parem, geminumque Puellæ
Quòd faciam: magnos quot præit illa viros!
Ipse jubes ignem Cœlo delabier: Ignis
Dedidicitque suas immemor ire vias.
Jussit & hæc, jussusque ruit mox deciduus: quo
Mox est Campani Præsidis ulta nefas.
Amborum Imperium senserunt Agmina aquarum;
Has, quibus hæc solvit vincla, tu in Axe ligas.
Cuncta pares, minor hôc es, quòd te fœmina terret:
Terruit hæc quot, quosque una Puella viros!

Id.Epigr.XCIX.

Macte animi Vir! Te pavidum non excipit Ignis:
Aurigam potiùs quin timet ille suum.
Macta animi Virgo! Impavidã quoq; te excipit Ignis:
Teque magis tua quin hospita flammã timet.

Lam-

Lambit utrique pedes innoxia flamma: nec uno
  Crine utramque audet vel temerare comam.
Sors par amborum, dispar sed gloria; quantùm
  Ingenio est dispar utraque flamma suo.
Altera de Cœlo, terrestris & altera: at illa
  Igne suo lucet, sed cremat ista suo.
Quòd Vati innocua haud noceat, nil miror: at hoc est
  Quod miror, tibi nec noxia, Virgo, nocet.

Vtri maior Gloria, Calabriæ ex loco Natali Divæ Dominicæ, an ex Morte Campaniæ?

Epigram. C.

VIrgo Tropæani flos ò pulcherrimus agri!
  Facta es Campani flos quoque, Virgo, Soli.
Altera luce tuos prima imbuit oris ocellos:
  Altera te radio nobiliore beat.
Utraque sorte suâ sibi plaudit, & utraque certat:
  Et quæ natali te tulit ora sinu:
Et quæ defecto liquefacta corallia collo,
  Excipiens, letho Terra beata tuo est,
Se cunis præfert Calabra; at Campana pheretro:
  Teque sibi magis hæc vendicat, illa magis.
Altera jure prior; melior tamen altera: nempè,
  Te parit illa solo: Te parit ista Polo.

Id. Epigr. CI.

Ah, nè te partâ jactes, Campania, palmâ:
  Te melior jure est, quæ fuit ora prior.
Tu Cœlo, dedit illa solo: sed sanguine fuso
  Quòd dederis Cœlo, quæ tibi Terra dedit?
Lacte aluit, pavitque diu, bona Virginis Altrix:
  Quas dedit, indè habuit Virgo cruoris opes.
Si sua cuique redit Res, victa es. Reddita cuinam
  Mortua, vel Cœlo judice, Virgo redit?

Calabriæ Prosopopæia.
Epigram. CII.

DUlcia, Cœlicolæ, vestris sit figere plantis
Oscula fas, famulam qui properatis opem:
Quò Patriæ dulces repetens mea Virgo Penates,
Vel patriâ, pœnis functa, quiescat humo.
Quæ fuerat natæ Nidus, sit & Urna sepultæ;
Postque Cruces, post tot vincula, flagra, quies.
Illa Rotamque, Ignesque, Feras, expertaque, & enses,
Campanas caveat, post sua fata, plagas.
Sic est: Post sua fata cavet: nam nulla ibi merces
Mors, nil, pro Christo quo patiatur, habet.

Nolæ, ubi moritur, ac Tropeæ, ubi sepelitur, pro D. Dominicâ contentio.
Epigram. CIII.

QUæ moreris Nolæ, tumularis, Diva, Tropææ:
Illa Cruore tuo nobilis, hæc Cinere;
Quæque suo dives Thesauro, quæque beata est:
Quippe tuus cruor est, amplaque Gaza Cinis.
Utraque sorte sua felix: felicior utra est?
Quæ albescit Cinere? an sanguine quæ rubuit?
Hanc rubuisse manus diri fecere Tyranni:
Et quæ sacrilego messuit ense caput:
Illa quòd albescit, Superûm vos Agmina, Divæ
Bajula, & Ætheriæ, quæ retulere, manus.
Id. Epigr. CIV.
Pulchrescis pulchro, Nola, illita sanguine Divæ:
Ast eadem, vultu dispare, fœda quoque es.
Immeritâ quòd cæde mades: eademque venustat
Sanguine, quæ maculat crimine, sæva manus.
Nul-

Nulla Tropæa tuæ sentit contagia culpæ;
Quamque beant Cineres, crimine non maculant.

Id. Epigr. CV.

Qui te, Nola, cruor ditat, seu gemmeus imber;
Lictori debes, quas tibi fudit opes.
Qui ditant Cineres (proh dives Gaza) Tropæam;
Has Gnatæ debet, quas sibi misit opes.
Munera quàm distent, potes hinc ediscere: nam illa
Sævities; Amor hæc, hæc dedit & Pietas.

Martis Templum Tropeę D. Dominicæ dicatum.
Epigr. CVI.

HIc ubi Templa suæ pia sacrat Patria Divæ;
Sacrârat Patriis impia Templa Diis.
Mars erat, & Marti fumarat odora Sabæâ
Fruge; vaporatis dum calet ara focis.
Quàm benè victrici cesserunt fana Deorum!
Hæc spolia, hæc victæ Relligionis opes.
Jam tibi Turba Deûm cave: nam illic Juppiter olim
Corruit: hìc Templo Mars quoque pulsus abit.

Eidem Templo Asceterium Virginum est adiunctum.
Epigr. CVII.

MArtia ubi Divæ sacrantur limina, castus
Incolit intactâ Virginitate Chorus.
Nempè, suo quò flore fuget malè olentia Martis
Probra, atque alterius jura soluta Thori.
An potius Sacro consultum ritè Pudori est,
Nè cadat? Est nullus nam sine Marte Pudor.

Divę Dominicę Sepulchrum Cœlestibus luminibus, ac Canticis famosum.

Epigr.CVIII.

NAtalis, mea Diva, tuos quæ creditur, artus
Exanimes gremio condere Terra suo;
Sæpè illam lapsæ lustrarunt Æthere flammæ:
Visæ illic nitidos ducere sæpè Choros.
Quin etiam tacitas superis concentibus horas
Mulcebat miris Cœlica Turba modis.
Neglecto dolui quòd te tegat Urna Sepulchro:
Ardeat exuviis cera nec ulla tuis.
Cerea jam desint: Cœlo adsunt lumina: ad Urnam
Deficiunt homines, Virgo; at habes Superos.

Id.Epigr.CIX.

Quis nitor? obscuro quænam nova pompa Sepulchro,
Ætherias inter venit ab Axe faces?
Nox silet, ac tacitis Orbem contexerat alis:
Totaque concentu personat ora suo.
Discrepat hoc aliis nimiùm, mihi crede, Sepulchris;
Nox ibi cuncta premens, horrida, & umbra silens.
Hìc nitor, hìc lapsi totus canor Ætheris. Una hæc
Quòd tua, nil Urnæ, nil habet Urna sui.

Triplex D.Dominicę, ac valdè mira vis. In Piratas Mauricos; In Mare, In Dęmones: Ac primò in Turcas Prędones. Epigr.CX.

DIva potens, Calabris Nereus quà flectitur undis;
Pellere Lunigeras diceris una Rates.
Sæpè dolos, ac sæpè manus elusimus; & quę
Turpia Thrax Prædo vincula sæpè parat.

Præ-

Præside te, trepidis fugiens secat æquora proris:
Et quæ terrebat, territa classis abit.
Sic benè, contritus cecidit quâ Juppiter; unà
Contrito & cornu Luna minuta cadit.

Æris Campani sono Turcas ab sui Nominis Pago arcet.

Epigr.CXI.

IN festis multâ Turcæ dum nocte Maniplis,
Quæ Divæ nota est nomine Villa, petunt.
Æthere lapsa, loci Præses, Virgo adfuit: & mox
Piratas, sacro dum sonat ære, fugat.
Detectas lunata dolent dumque Agmina fraudes;
Desertas repetunt in statione rates.
Jam totas dormire loci licet, Accola, noctes:
Quæ pro te vigilat, teque tuetur, habes.

Id.Epigr.CXII.

Ære cavo sacra reboat quid Turre, Manetis
Ut Turmas gelido Diva pavore premat?
Martia nam melior streperent tuba, classica, vel quæ
Accendunt Martem; Martis, & Arma cient.
Sic ad vota vocant, non arma; & sacra subire
Templa; nec hostili cæde madere manus.
Falleris: hinc nam certa virescit adorea: nempè;
Arma minùs, magis ad prælia vota valent.

Id.Epigr.CXIII.

Imbelles animæ, vilesque, an prorsùs inanis,
Campano veniens vos quatit ære, sonus?
Et quatit, & fugat. Hic haud est, qui fulminet, ensis:
Nec, quæ vel libent vulnere, tela volant.
Quid causæ est, rabidi modò qui venere Leones;
Nunc pede præcipites hinc abeunt lepores?

Nempè, meæ virtus hæc Divæ. Bella triumphans,
Quo nos aggredimur, conficit illa sono.

Id. Epigr. CXIV.

Mos Sinis ſtrepere ære viris; ſi quando laboret
Luna: Laboranti Gens ita præbet opem.
Vana hæc mitte: vides contraria: Luna laborans
Deficit hinc, uno quòd ſtrepit ære manus.

Dromo, Meſſanæ ſuburbio, Turcas, nocte Domini natali exſcenſu facto vexillo Crucis expulit.

Epigram. CXV.

NOx erat, & Prædo Zanclen Thrax puppe tenebat:
Zancla loco nomen fecerat ante, Δρόμος.
Jamque inhians promptæ, non ſe capit impia, prædæ
Turma, catenatas ducere certa Nurus.
At non ſic viſum Divę, quę preſidet orę:
Gutture ſed vacuo fecit abire Lupos.
Nam Cœlo delapſa, truceſque invecta Maniplos;
Avertit trepidos: luce, oculiſque fugat.
Sicque ſono Calabros, Siculos fulgore tuetur:
Proque ſuis tonitru nam quoque fulmen habet.

Id. Epigr. CXVI.

Dum te, Virginei colerent Nox conſcia partuș,
Chriſtiadæ, nati Numinis & lachrymas;
Thracia lunatis ſeſe fudere carinis
Agmina, Zanclæis inſidioſa locis.
Incautoſque premens, noſtro Thrax gaudia fletu
Mergere: vultque hilares cæde rubere dies.
Ah cave: ſtricta Deum nobis dum faſcia vincit;
Gens ſua, nos, famulâ compede vincta, nefas.
Audiit hæc, quæ Diva loci eſt fidiſſima Cuſtos:
Barbaricoſque urgens irruit in Cuneos.

Nec

Nec mora: Sidereo trepidantes ore phalanges
Perculit, imbelles Vultur ut urget Aves.
Sic quæ Pax Terris, nato mox Numine, Cælo
Insonuit Superûm carmine, Virgo dedit.

Id. Epigram. CXVII.

Diva, Deos seu sacrilegis decedere ab aris,
Turpia seu Thraces vertere terga, jubet:
Vsque Crucẽ præfert: Cruce tantùm armata, Manetis
Agmina, quæque Diis impia Thura cremant.
Majestate suos valeat quid Christus in hostes,
Discite: supplicio vincit & ipse suo.
Jam Cruce, Diva, præi: Isacidas prosterne: superstes
Sic hostis Christo, Te Duce, nullus erit.

Id. Epigram. CXVIII.

Nascitur angusto Deus infans fornice; & arma
Cælicolæ tractant, unà agitantque Choros.
Annua si redeunt Terris hæc Gaudia; Cœlo
Hoc Choreas inter fœdus, & Arma redit.
Jam, Superi, indulgere Choris totos licet: Æthræ
Bellica nam Virgo, quæ benè tractet, adest.

Divæ Dominicæ Potestas in Maris procellas.
Epig. CXIX.

DIva Potens Pelagi, Vectorum ò Sidus amicum;
Siqua Tropæanis Cymba vehatur aquis.
Quin etiam, Siculum quà se magis explicat æquor;
Indomiti Domitrix diceris una Maris.
Nulla Abies illic, casus montana marinos
Expertura; tuam quin sibi quærat opem.
Ah quoties fluctu jam jam tumulanda: sed olli.
Vna salus miseræ, Portus & unus eras.
Nam tua vel surdi senserunt nomina fluctus:
Moxque voranda suis, Cymbula lusit, aquis.

Vtra-

Vtraque Regna tenes undarum. Paruit inter
Ignes unda Poli: paret & unda Sali.

Id.Ep.CXX.

Siqua procellosi miseras pars æquoris Alnos
Et quatit, & quassas unda vorata vorat;
Est inter geminum scopulosa cacumina cornu
Hippo, vicinis quà sinuatur aquis:
Formidata Maris loca: queis Proserpina quondam
Delubro præerat tam propè culta suo.
Hanc Dominam ingeminans, supplex in vota vocabat
Nautica; nè sævis Turba periret aquis.
Jam cultu atque aris cecidit Dea. Jam tua, Virgo,
Nomina subiectæ Tethyos unda timet.
Ipsa Deos sputo potuisti evertere: at ipsa
Evertit tua jam Nominis aura Deas.

Id.Epigr.CXXI.

Hìc ubi Diva Thetim premit, ipsasque æquoris iras
Nominis, atque sui Numinis Imperio.
Lacte Jovis, multo famosus Apolline, amaras
Protendens scopulus, se urget & inter aquas.
Quàm benè Virginei tergit sacra unda Cruoris
Dona hæc, seu falsi turpia probra Dei!
Ex ipsis poteras, Turba impia, discere Divis,
Quod vestræ, ac veræ est Religionis opus.
Virgo cruore, at lacte madescit Juppiter. En ut
Fœmina vir, vestrum fœmina Numen erat.
Jam sperare licet parituros Pignora vestros
Esse Deos; Diis quando ubera lacte tument.

Divæ Dominicæ vis in Dæmones.

Epigr.CXXII.

INfernos Lemures, Stygiasque invi cta Phalanges
Vicisti & cœcos cogis adire lacu s.

De-

Aquis de Cœ.o fornax restin Ga.

Deturbare loco poterat vis nullá: Puellæ
Una reluctantes expulit inde manus.
Quin etiam nullo stetit hæc victoria nisu:
Arma tuum isthæc ad prælia Nomen erat.
V icerit ille: hostemque ferunt fugisse videndo:
Te audiit, & victus protinùs hostis abit.

Id.Epigram. CXXIII.

Quò Mamertinis Piratas arceat agris,
Diva, Polo præceps, fulminis instar, adest.
At quò Tartareos sub Tartara mitteret hostes,
Nomina sunt olli vel geminata satis.
Heu Pudor! heu nostræ crimen lachrymabile Gentis!
Dæmonas hoc satis est vincere, non homines?

Id. Epigram. CXXIV.

Quis fragor? Et nova quæ exagitans insania, Ditis
Nigra catenatis tractibus antra quatit?
Dente fremensque, tremensque suo tumet ebria fastu:
Victaque Cocyti Turba superba furit.
Et vinci minus est: magis urit sic quoque vinci:
Fœminei telo nominis icta cadit.
Imbellem nam si tumido vicisse Puellam
Victori Pudor est; cedere quantus erit?

Id.Epigr. CXXV.

Seu moreris, patrias repetis seu mortua sedes;
Tecum est Cælicolûm semper amica manus.
Cõtra, quæ Stygiis Lemurum Turba abditur umbris,
Te fugit, ad Nomen territa Turba tuum.
In te se tantùm studia in contraria scindunt:
Oderit hæc, trepidat: servit at illa, & amat.
Par laus indè. Pavor quid possis, edocet Orci:
Edocet & Superûm, quid merearis, Amor.

Poe-

Poetę Anathèma.
Ep.CXXVI.

DIva,triumphalis Nolæ quam laureà cingit:
Et cui Campano è pulvere palma venit:
At nunc cognatæ repetens cunabula Terræ:
Nata ubi jam fueras, contumulata jaces.
Jam cecini partas fuso tibi sanguine laurus:
Jam cecini Patrio dulcia bustà solo.
Non mihi fas aliis cumulasse altaria donis,
Aurea nec Templis pendere vota, fuit.
Quod poteram,exolvi voti Reus.Hoc tibi Musæ
Pauperis obsequium, jam cape,carmen erit.
Es Virgo, & Victrix: Victrici Laurus opacet
Tempora. Virgineo Laurus amica Choro est.

Poetę lusus in Anonymum Campaniensem: quem Tropęensibus Dominicam eripere omninò temerè, ac frustrà ausum;è TropeanisPatritiis D.Mauritius Barone, libello Neapoli nuper edito,falsi planè compertum; luculenter admodùm confutavit.
Epigram. CXXVII.

QUàm benè mendosum subscribit ducta libellum,
Ultima per paucas linea litterulas!
Nempè,N.de N.tantumque tuæ(mirabile dictu!)
Mentis opus, totum claudis in exiguo.
Claudere non poteras meliùs. Vis nosse, quid indè
Colligere est? N.de N. De Nihilo Nihilum.
Id.Epigr. CXXVIII.
De Nihilo Nihil est, vetus ista Paroemia de Te:
Hoc de Te veteres edocuere Sophi.

In

In me dum calamos acuis; quæ ſcripſeris, ipſe
Ut legi, riſum, credito, vix tenui.
Hiſcere vel contrà nec opus: namque ipſa refellunt:
Ac ſe mendaci ſcripta monent calamo.
Hæc dixiſſe boni, rogo, me, Tu conſule. Quid ni?
Bis Nihilum das, N. de N, cape bis Nihilum.

Id. Epig. CXXIX.

Nam quem te memorem? Quo nam te nomine dicam;
Qui me, dicta truci qui mea dente petis?
Te nè noſſe quidem mihi fas de nomine. Poſthac
Te nemo obſcuri nominis eſſe neget.
Sribere non puduit; puduit ſcripſiſſe: libello
Sat benè cum Domino, ſi latuiſſet, erat.
Admiſſo par ſed referes pro crimine. Faxo
Obſcuri nè ſis nominis: hoc referes.

Id. Epigram. CXXX.

Dicebas: Vivo naſum malè vellicat Urſo,*
Audax, nos calamo quiſquis ad arma vocat.
Arma furens tractas, Urſo par: illa ſed ictu
Collimant nullo: Victor, & hoſtis ouat.
Dicebas benè: Par rabido tibi Naſus ut Urſo eſt:
Dum malè collimas; plus quoque, nempe, Caput.

LAVS DEO.

*Anonymi dictum in ſuo libello.